


IN SELECTA

QVAEDAM VETERVM MONVMENTA

SVPPETIAE.

COMMENTARIVM VIII

RAYMVNDI GVARINII.

Non te peto: piscem peto.

NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE.



MDCCCXXV.

PRAEFATIO.

Veterum titulis quibusdam scitu dignissimis, sed qui tamen aut temporum iniuria hiant miserrime, aut Quadratariorum inscitia male insculpti, aut demum parum fideliter descripti, improspereque abs viris doctis intellecti passim circumferuntur, suppetias afferre qualescunque, est animus, quando id per Feriarum Autumnalium otium, viribus modice instauratis, licuit. Triplex igitur, ut videtis, Commentarii pars. Favete animis.

CAP. I.

In mutilum de Cl. olim Danielii Museo Epigramma.

§. I.

Mutilos Veterum titulos, metricis praecipue legibus adstrictos, in integrum restituere, quanti laboris opus, periculique plenum sit, experti norunt. Ea tamen cogitatio deterrere mi-

nime potuit, quin vires nostras qualescunque in hoc Fragmento restituendo, sanandoque experiremur; quod multis de caussis illud ea cura dignum visum est, quarum ea non praetereunda, ut aliquando Parnasso nostro Lapidario, si quando iterum prelo committi contigerit, accedere queat cum aliis nonnullis, quae adhuc in adversariis latitant. Lacunarum impletionem et characteribus minoribus, more recepto, designavimus, et commentariolis praeterea fulciendam duximus, ne quis arguendi cupidine motus eam arbitrariam omnino, gratuitamque taxet. Pro verborum accuratione, in primis quae priores quatuor lineas cum biga postrema attinent, vadimonium suscipere, non libet. Ecquis enim praestare id tuto audeat? sententiam certe, quoad fieri licuit, proxime secuti sumus, a qua non longe aberrasse, facile confidimus, nisi nostra nos fallunt. Sed iam verborum satis. Ecce nunc illud vobis.

Qui properas alio pergens, *si* SCIRE LABORAS,
Hospes, *quae fuerim*, *vel qualis*, *quan*TAVE QVOIVS
Taedia constiterint vitae, MISEREBERE CERTE,
Et sistes. Ergo NE SIT DOLOR, HOC, PRECOR, AVDI.
OMNIA CVM VITA PEREVNT, ET INANIA FIVNT.
QVATINVS HOC VOLGO PERSVASVM EST, CREDIMVS, HOSPES,
*In*DICIA VT VITAE TITVLO CONSCRIPTA RELINQVANT.
Ne GRAVE SIT, QVAESO, PAVCIS COGNOSCERE CASVS,
*Quo*S TVLERIM DVBIOS, ET QVAM SIT DIRA CVPIDO,
*Ulter*IVS NASCENTEM ALIQVEM PROCEDERE HORA.
*Terti*VS A DECIMO CVM ME PRODVCERET ANNVS,
*Coniu*GIS ADSVMPSI NOMEN, GREMIVMQVE RESOLVI.
SED NON, VT VOTIS PEPIGI, MEA FATA TVLERVNT.
*Temp*ORE NAM EXIGVO FELIX HAEC OMINA TRAXI,
Vix fortunae ET BLANDAE OPIBVS DECORATA, PRIVSQVAM
*Saeva p*ER OPSCVRVM SERPENS MORS CVNCTA RESOLVIT.
*Ultim*VS INSVRGENS MIHI SOL CVM CONIVGE VISVS,
*Non tam*EN OMNINO, ET QVINTAE VIX DEINDE KALENDAE.
*Annum i*GITVR NOSCES SEXTVM DECIMVMQVE FVISSE,
QVEM VITAE FINEM MIHI *fata fuisse dederunt*,
Nunc meus HANC SEDEM CONIVX *post fata dicavit.*
Infelix! MIHI *quo felix Quondam esse videbar.*

Qui properas alio pergens , si SCIRE LABORAS ,
*Hospes , quae fuerim , vel qualis , quan*TAVE QVOIVS
Taedia constiterint vitae , MISEREBERE CERTE ,
Et sistes. Ergo NE SIT DOLOR , HOC , PRECOR , AVDI.
OMNIA CVM VITA PEREVNT , ET INANIA FIVNT.
QVATINVS HOC VOLGO PERSVASVM EST , CREDIMVS , HOSPES ,
*In*DICIA VT VITAE TITVLO CONSCRIPTA RELINQVANT.
Ne GRAVE SIT , QVAESO , PAVCIS COGNOSCERE CASVS ,
*Quo*S TVLERIM DVBIOS , ET QVAM SIT DIRA CVPIDO ,
*Ulter*IVS NASCENTEM ALIQVEM PROCEDERE HORA.
*Terti*VS A DECIMO CVM ME PRODVCERET ANNVS.

*ConiuG*IS ADSVMPSI NOMEN GREMIVMQVE RESOLVI
SED NON, VT VOTIS PEPIGI, MEA FATA TVLERVNT.
*Temp*ORE NAM EXIGVO FELIX HAEC OMINA TRAXI,
Vix fortunae ET BLANDAE OPIBVS DECORATA, PRIVSQVAM
*Saeva p*ER OPSCVRVM SERPENS MORS CVNCTA RESOLVIT.
*Ultim*VS INSVRGENS MIHI SOL CVM CONIVGE VISVS,
*Non tam*EN OMNINO, ET QVINTAE VIX DEINDE KALÈNDAE.
*Annum i*GITVR NOSCES SEXTVM DECIMVMQVE FVISSÈ,
QVEM VITAE FINEM MIHI *fata fuisse dederunt*,
Nunc meus HANC SEDEM CONIVX *post fata dicavit.*
Infelix ! MIHI *quo felix Quondam esse videbar.*

Marmoris fractura, tam superne, quam inferne, Puellae, cui titulus a Viro positus, nomen invidit, quam iacturam facile toleramus. Ad carmen quod spectat, plane iucundissimum, illud data opera in senas particulas secuimus, quo sententia eius omnis et plenius, et facilius constet.

1. Prior lineis quatuor concluditur, quae titulo, proemii loco, inserviunt, nihilque praeterea in se habet, quod morari lectorem queat.

2. A versu quinto ad decimum usque progreditur. Versus prior sententiam complectitur ad Epicureorum palatum adcomodatam: *omnia* videlicet *cum vita perire*, *et inania fieri*, idest in nihilum abire. Verum haec si ita sint, reponere quis iure poterat, eccui bono tam laboriosa tituli accuratio? cui interrogationi ita obviam it vates Epicureus. Titulos, quorum ope vitae cuiusque *indicia* patescunt, minime negligendos, *quatinus hoc volgo persuasum est*; idest ut vulgi moribus, persuasionique pareatur. Caeterum, ut quod ipse sentit, ingenue profiteatur, *diram esse cupidinem*, *ulterius nascentem aliquem procedere hora*; hoc est longa animo mortales vivendi vota concipere, quos

in vitae huius stadio tot *dubii casus*, certaque pericula sint consecutura. Longe difficilior

3. Particulà, quam versibus sex comprehendimus, quibus de vita, statu, obituque puellae edocemur. Haec annum tertium supra decimum vix ingressa (ea vis verborum *cum me produceret annus*), in matrimonium collocata *coniugis adsumpsit nomen*, *gremiumque resolvit*. Quae posteriora verba de prima zonae virginalis per sponsum *resolutione* sunt accipienda, non de Liberorum susceptione, qui nulli in ellogio memorantur: Id quod evidens fit ex addita statim querimonia :

Sed non, ut votis pepigi, mea fata tulerunt.

Nam quae coniugii vota, nisi eiusdem diuturnitas cum subolis numero, ac beatitate, quorum neutro frui puellae nostrae datum? quae vix spei tantae *omina traxit*, et quidem *tempore exiguo*; vix et fortunae blandae opibus decorata fuit, *priusquam*

Saeva per *obscurum serpens Mors cuncta resolvit*?

4. Ultimus *insurgens mihi Sol cum Coniuge visus*,

Non tamen *omnino, et quintae vix deinde Kalendae*.

An non haec consentiunt cum Virgilianis hisce;

NON TAMEN OMNINO *Teucros delere parati* (1)?

(1) *Aen. IX.*

Ultimus igitur coniugii *Sol* illuxit puellae, *nec tamen omnino*, intellige *visus*, quod et *Kalendis quintis* etiam, noto ellypsis genere, subaudias. *Visus* itaque *Sol*, sed non *tamen omnino*, idest *cursu absoluto*, quem *saeva* mors intercepit: *visae* item *Kalendae quintae* coniugii, idest vix inchoatae, non absolutae. Kalendas heic enumerat puella a primo initi coniugii tempore, ordine sequenti:

Kalendae I. coniugii : : dies prima anni 13 puellae.

Kalendae II. coniugii : : dies prima anni 14.

Kalendae III. coniugii : : dies prima anni 15.

Kalendae IV. coniugii : : dies prima anni 16.

Kalendae V. coniugii : : dies prima anni 17; quo tempore fato concessit.

5. *Annum igitur nosces sextum decimumque fuisse*,

Quem vitae finem mihi fata fuisse dederunt.

Nupsit siquidem, anno expleto duodecimo, tertium supra decimum vix ingressa, quem Coniugii vocat *Kalendas primas*, adeoque fecit cum viro suo quatuor integros annos, degustatis *Kalendis quintis*, quae initium dederant aetatis anno septimo supra decimum.

6. Biga carminum postrema, quae tota fere constat labore, periculoque nostro, Coniugis pietatem commendat in extruendo Uxori suae demortuae monumento.

In vetus Eburici Municipii monumentum.

§. II.

Qui sibi meditatione assidua in veterum monumentis perlustrandis usum aliquem comparaverunt, his usuvenire interdum solet, ut si quando in novum aliquod, longiusculum in primis, siglisque notabile, incidant; primo intuitu, veteri confidentia, plana omnia ipsis videantur. Verum cum manus operi admovere, sibique omnium rationem reddere, contingit, ut singula singulis, omnia omnibus cohaereant, tum demum confidentiam ponant, et vivos non semel ungues arrodere coacti, de suismet viribus modestius sentire aliquando ediscant. Quod nobis accidisse nuper, minime veremur profiteri, in recitato nobis titulo, quem prima facie aestimavimus nil non obvium nobis continere. Verum enimvero cum per otium primo illum

tractare licuit, tum denique intelleximus, rem aliter omnino se habere, ac initio putaveramus. Difficultas non in unis tantum siglis posita, quae alias atque alias subire interpretationes possunt, sed multo magis in eius periochis rite ordinandis, iustaque interpunctione seiungendis, quod frustra expectes a consueto quadratariorum more, qui aut verba singula, aut etiam nulla, interpungunt, cum interim haud raro in deliciis habeant, et syllabas ipsas puncto notare. Marmor, quale nobis traditum est, nec enim το αρχετυπον videre licuit, est huiusmodi:

I.

L. D. D. D

T. FL. T. F. SILVANO. PATR. MVN
EBVR. IIVIR. II. QQ. QVAEST. ARK. CVR
REI. FRVMENT. HVIC. COLL. DEND
ROPHORR. OB. EXSIMIAM. ERG*a*
SE. BENIVOLENTIAM. ET. SPEM. PER
PETVAM. STATVAM. DIGNISSIMO
PATRONO. POSVERVNT. CVIVS. STA
TVAE. HONORE. CONTENTVS. OB
TVLIT. COLL. SS. HS. VIII. N. VT. QVOTANNIS
NATALI. EIVS. DIE. III. IDVVM. DECEMBR
*c*ON. FREQVENTENT. STATVAE. DE
DICATIONEM. COLL. HS. XX. N. .
*q*Q. IIVIR. AEDILIC*ii*S. ET. CETE
RIS. CON. DEC. SING. HS. . . S. AVGV*s*
TALIB. HS. XII. N. COLL. DEND*ro*PHORR. ET
FAB. SING. HS. MILLENOS. N. ET. EPVLVM
PLEBEIS. SING. HS. XII. N. ET. VISCERATIONEM.

Vocem decurtatam EBVR. pro EBVRI magis *Municipio*, quam pro EBVRODVNO, accipere, pronius videtur. De *Eburico* titulo apud Isaram, Bavariae flumen, extat titulus apud Gruterum (1), quem consule, si vacat. Nunc

---

(1) Pag. 23. n. 5.

marmoris ipsius veluti nucleum petamus, diffracto in partes cortice.

1. Prima pars excurrit ad vocem usque REI. FRVMENT. versus quarti, Patronique Municipii honores omnes prosequitur. Fuit itaque T. Flavius, Titi Filius, Tribu Fabia, Silvanus, Patronus Municipii Eburici. *Patronis* autem primum in Albo Curiae locum, honoris caussa, fuisse assignatum, ignorare nemo potest. Ad haec: IIvir iterum, intellige *Iuri dicundo*: nam si nota numerica II. ad *IIviratum* Quinquennalem esset traducenda, eum dici oportuerat non IIvirum *II. QQ.* sed *IIvir.* QQ. II. Auctus praeterea *Quinquennalitate* semel, et *Quaestura Arkae*, utique *Fisci*, sed quae Eburi, non Romae, administrabatur, et *Cura* denique *rei Frumentariae*, seu annonae Eburicae, non romanae. Nam qui romanae olim annonae praeerant, hi dicebantur *Praefecti annonae*, et Magistratibus Extraordinariis accensebantur. Postquam autem placitum Augusto, *Ordinarios* instituere Magistratus huiusmodi, *Curatores* appellati *Frumenti populo dividundi*, ut Suetonius tradit (a).

(a) In Octav. Cap. XXXVII.

2. Alia tituli pars sic a caeteris seiungenda: *Huic Collegium Dendrophororum ob eximiam erga se benivolentiam, et spem perpetuam* (alia porro atque alia beneficia de fonte eodem derivandi) *statuam Patrono dignissimo posuerunt*; quae nullo indigent interprete. Tantum adnotasse non pigeat, siglas COLL; quas hic pro *Collegio* accipimus, ut et in linea 13 et antepenultima, aliam deinde potestatem habere in versu 10, quod suo loco notabitur. Veteris etiam τ'ης ὀρθογραφιας studiosi notabunt, ad vocem *Dendoprophororum* syllabam postremam per duplicem R fuisse designatam.

3. Sequitur pars tertia his coercenda limitibus: *Cuius statuae honore contentus, obtulit Collegio supra scripto* HS. VIII. N. Atqui hoc in loco interrogabit quis, nec de nihilo habenda interrogatio, eccur notae formulae *honore contentus* non additum complementum illud notissimum: *impensam remisit?* Cui interrogationi sic respondendum, arbitramur. Postrema haec verba tunc formulae illi addi consuevisse, cum Patronus, sive alius quivis, oblati honoris impensam in se reciperet. At in casu nostro iam *Dendrophorum Collegium* sum-

ptu suo Statuam Silvano posuerat. Silvanus igitur, ad rependendam Collegio gratiam positae sibi Statuae, obtulit Collegio eidem HS. VIII. N. Quo magis miremur, et exosculemur veterum in verborum, formularumque proprietate accurationem, sobrietatemque.

4. *Ut quotannis natali eius die, tertio Iduum Decembris, Collegae frequentent Statuae dedicationem, collocavit* (sic enim hoc in loco reddimus siglas COLL.) HS. XX. N. hicque, facto puncto, consistimus. Quae vis formulae *collocare pecuniam*, notum tironibus. Ad lin. 12 iactura se prodit literae praecedentis vocem ON, quam tituli nostri descriptor supplet per literam M; utpote cuius animo *Monumenti* imago obversabatur. Sed minus prospere. Ecquid enim sibi vellet: *Monumentum frequentent, Statuae dedicationem?* Rectius igitur supplendum videtur per literam C, ut *Collegae* habeantur, qui quotannis, die Silvani natali, frequentes adeant ad anniversarium Dedicationis Statuae festum.

5. Iam de HS. VIII. N. collocatorum reditibus attribuuntur *Quinquennalibus, IIviris, Aediliciis*, et caeteris *Collegis Decurionibus* sin-

gulis HS. annui *x*, nam hic hiat Marmor, cum addito *Semisse*, qui conspicuum se praebet in εκτυπῳ nobis tradito.

6. *Augustalibus HS. XII.* N; intellige semper *Collocavit*, quae semel initio posita vox, noto ελλυψις genere, subticetur in sequentibus.

7. *Collegio Dendrophorum, et Fabrum singulis* HS. *millenos* N; *et Epulum.*

8. Demum *Plebeis singulis* HS. XII. N. *et Viscerationem.* De Epulo, et Visceratione supersedemus dicere, quod res sint inter notas notissimae, et a viris eruditis iamdiu praeoccupatae. Tantum admirari libet effusam Silvani liberalitatem, qui pro unius Statuae dedicatione, et ab uno Dendrophorum Collegio sibi positae, non contentus Dendrophoris bis retulisse gratiam, *Quinquennales* etiam, *IIviros*, *Aedilicios*, *Decuriones* universos complectitur; quibus Augustales addit cum Collegio Fabrûm, et Plebeos denique singulos. Sestertium pro re tanta tum oblatorum, tum collocatorum, initis rationibus e summis singulariis

1. 8000
2. 20000
3. 12000
4. 1000

5. 12000, emergit summa HS. N. 53000 = ducatis nostris Neapolitan. fere - 1323. Cui summae addendum, quod invidit temporis iniuria in lin. 15. Non deerunt, qui nimiae nos prolixitatis in his prosequendis reos agant, qui tale habeant sibi responsum. Melius ista supererunt iis, qui ea norunt, quam iis deerunt, qui ignorant. Profecto, qui literis cogitationes suas consignant, illorum similes aestimamus, qui epulum apparant, quibus non unis fastidiosorum hominum palato iusculis, salsamentisque serviendum, sed multo magis caeterorum ieiunio, necessitatique succurrendum, qui plures sine dubio sunt, et cibi appetentiores occurrunt.

Parum facessit negotii, quod sequitur, Marmor Theatinum, descriptum, transmissumque nobis nuper a Viro erudito, nostrique amantissimo, Januario Ravizza. Sed quaedam inde adnotandi occasio fiet viris eruditis fortasse non iniucunda.

II.

O. *h.* *s.* *s*
HYALISS. VIC*toris*
HYACINTI. FLAVIAES
PROCVLAE. SER
LVCCEIA. DONATA
NVTRIX
P

Flaviaes, loco τῆς *Flaviae*, indicio est, ad sequiora latinitatis tempora titulum pertinere, qua de re consule Cl. Lupum in *Epitaph. S. Severae.* Sensus omnis hic esse videtur. Lucceia Donata, Nutrix, pro pietate sua, titulum ponit tribus Flaviae Proculae Servis, Hyalisso videlicet, Victori, et Hiacyntho, pro cuius nominis scriptura desideratur in marmore ἡ τῆς ορτογραφιας ʽακριβια. Primae lineae iactura facile sarcitur per notam formulam: *Ossa hic sita sunt.*

Formula haec vetustissima, unaque elegantissima, in quam frustra mussitarunt eruditu li quidam, quos solidissimis ictibus refutavit vir summus Hagenbuchius. Concors doctorum sententia est, ea insinuari stricti nominis *sepulcrum*, quod sine *cadaveris illatione*, haud *precaria*, sed *per-*

petua, stare non poterat. Inde enim *sepulcra religiosa fiebant*, et sub Legum tutela quiescebant. Ad haec adiiciendum putamus, formulam eamdem videri intelligendam de *integri* cadaveris, non *cremati*, illatione. Cui opinioni nostrae favet locus Tullii de Leg. Lib. II; qui talis est: *Declarat etenim Ennius de Africano*; HIC. EST. ILLE. SITVS. VERE; *nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt.* Ille. *Vere* igitur SITI, si Ennio fides, ii dicebantur, quorum *integra*, non *cremata* cadavera, condebantur, qualem Corneliis, ad Sillae usque tempora, morem fuisse, Scriptores tradunt. Eaque de caussa factum putamus, ut in Sarchophagorum nullis, quos videre hactenus nobis contigit, formula huiusmodi occurrat. Unde marmorum silentia eloquentissima commendanda, quae, quod ipsa per se res loquitur, nusquam fere eloquuntur.

Neque nos fallit, testari Morcellium (1), ab se formulam hanc deprehensam quoque in *Urnis cinerariis*. Verum id minus proprie dictum, factumque arbitramur sub sequioris lati-

---

(1) *De Stil.* pag. 111.

nitatis temporibus. Nam ad ambiguitatem omnem tollendam, ut ipsemet Morcellius fatetur, interdum *τοις σαρκοφαγοις* insculptum videas: CORPVS. INTEGRVM. CONDITVM. SARCOPHAGO (1) Paucis. *Ossa sita*, eccuius auribus latinae proprietati assuetis non probentur? At *cineres siti*, utrum dici proprie possint, adfirmate dicere non audemus.

In Vetus Municipii Caeritum monumentum.

§. III.

Marmor pretii quantivis, de Museo olim Danielii selectum, adornandum, purgandumque suscipimus, non equidem viris illud eruditis incognitum, nam et a Grutero (2) iamdiu relatum videas; sed quod multa in eo eminent, scitu dignissima; quae utrum observata hactenus ab aliis sint, plane ignoramus. Est autem huiusmodi:

(1) Ibid. pag. 114. §. 11.
(2) Pag. 214. n. 1.

VESBINVS. AVG. LIB. PHETRIVM. AVGVSTALIBVS
MVNICIPI. CAERITVM. LOCO. ACCEPTO. A. REP
SVA. INPENSA. OMNI. EXORNATVM. DONVM. DEDIT
DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. FACTVM. IN. PRONAO. AEDIS. MARTIS
EX. COMMENTARIO. QVEM. IVSSIT. PROFERRI. CVPERIVS. HOSTILIANVS. PER. T. RVSTIVM. LYSIPONVM
SCRIBAM. IN. QVO. SCRIPTVM. ERAT. IT. QVOD. INFRA. SCRIPTVM. EST
L. PVBLILIO. CELSO. II. C. CLODIO. CRISPINO. COS. IDIBVS. APRILIB
M. PONTIO. CELSO. DICTATORE. C. SVETONIO. CLAVDIANO. AEDILE. IVRI. DICVNDO. PRAEF. AERARI. COMMENTARIVM. COTTIDIANVM. MVNICIPI
CAERITVM. INDE. PAG. XXVII. KAPITE. VI
M. PONTIVS. CELSVS. DICTATOR. ET. C. SVETONIVS. CLAVDIANVS. DECVRIONES. IN. TEMPLO. DIVOR. CORROGAVERVNT. VBI. VESBINVS. AVG. LIB. PETIT
VT. SIBI. LOCVS. PVBLICE. DARETVR. SVB. PORTICV. BASILICAE. SVLPICIANAE. VBI. AVGVSTALIB. IN. EVM. LOCVM. PHETRIVM. FACERET. VBI EX
CONSENSV. DECVRIONVM. LOCVS. EI. QVEM. DESIDERAVERAT. DATVS. EST. PLACVITQVE. VNIVERSIS. CVRIATIO. COSANO. CVRATORI. OB. EAM. REM
EPISTVLAM. MITTI. IN. CVRIAM. FVERVNT. PONTIVS. CELSVS. DICTAT. SVETONIVS. CLAVDIANVS. AED. IVRIDIC. M. LEPIDIVS. NEPOS
AEDIL. ANNON. POLLIVS. BLANDVS. PESCENNIVS. FLAVIANVS. PESCENNIVS. NATALIS. POLLIVS. CALLIMVS. PETRONIVS. INNOCENS. SERGIVS. PROCVLVS
INDE. PAGINA. ALTERA. CAPITE. PRIMO. MAGISTRAT. ET. DECVRION. CVRIATIO. COSANO. SAL. IDIB. AVG. DESIDERANTI. A. NOBIS
VLPIO. VESBINO. CONSILIVM. DECVRION. COEGIMVS. A. QVIBVS. PETIT. VT. SIBI. LOCVS. PVBLICE. IN. ANGVLO. PORTICVS. BASILIC. DARETVR. QVOD. SE. AVGVSTALIB
PHETRIVM. PVBLICE. EXORNATVRVM. SECVNDVM. DIGNITATEM. MVNICIPI. POLLICERETVR. GRATIAE. HVIC. ACTAE. AB. VNIVERSIS. PLACVIT. TAMEN. TIBI
SCRIBI. AN. IN. HOC. QVOQVE. ET. TV.CONSENSVRVS. ESSES. QVI.LOCVS. REIP. IN. VSV. NON. EST.NEC. VLLO. REDITV. ESSE.POTEST.INDE.PAGINA. VIII. KAPITE.PRIMO
CVRIATIVS. COSANVS. MAG. ET. DEC. CAERETANOR. SAL. EGO. NON. TANTVM. CONSENTIRE. VOLVNTATI VESTRAE. SET. ET. GRATVLARI. DEBEO. SI QVI. REMP. N
EXSORNAT. ACCEDO. ITAQ. SENTENTIAE. VESTRAE. NON. TANQVAM. CVRATOR. SED. TANQVAM. VNVS. EXS. ORDINE. CVM. TAM. HONESTA. EXSSEMPLA
ETIAM. PROVOCARI. HONORIFICA. EXORNATIONE. DEBEANT. DATA. PRID. IDVS. SEPTEMBR. AMERIAE
ACT. IDIB. IVNIS. Q. NINNIO. HASTA. P. MANILIO. VOPISCO. CoS
DEDICATVM. K. AVG. ISDEM. CoS

LYSIPONVM

'M. COTTIDIANVM. MVNICIPI

VBI. VESBINVS. AVG. LIB. PETIT

PHETRIVM. FACERET. VBI EX

IO. CVRATORI. OB. EAM. REM

C. M. LEPIDIVS. NEPOS

INNOCENS. SERGIVS. PROCVLVS

ESIDERANTI. A. NOBIS

ILIC. DARETVR. QVOD. SE. AVGVSTALIB

NIVERSIS. PLACVIT. TAMEN. TIBI

)TEST.INDE.PAGINA. VIII. KAPITE.PRIMO

GRATVLARI. DEBEO. SI QVI. REMP. N

M. TAM. HONESTA. EXSSEMPLA

IERIAE

De *Vesbino* quopiam, *Aug. Liberto*, extat Gruteri (2) titulus huiusmodi:

VESBINO. AVG. LIB. PATRI
SANCTISSIMO
ET. FLAVIAE. AMPLIATAE
MATRI. PIISSIMAE
ITEM. SIBI. POSTERISQVE
SVIS
T. FLAVIVS. AQVILA
FECIT

Sed quo minus Vesbinum hunc cum Caeretano nostro confundamus, monet *Flavii* nomen, quo Uxor, filiusque Aquila honestantur. Vesbinus itaque noster Traiani Libertis accensendus, ut ex *Ulpii* nomine palam fit; Gruterianus ex adverso Vespasiani, quod *Flavii* nomen praefert. E re tamen erit observare, Vesbinum hunc *Flavianum*, licet Augusti Libertum, uno pristinae servitutis nomine insinuari, quod, qua fini praenotatum sit, inferius loco suo patebit. Ad haec: Marmor Caeretanum nostrum, in aperto est, prae romano Gruteri, tempore longe posterius esse. Age nunc titulum nostrum in

(2) Pag. 619. n. 8.

partes singulas expendamus, quod antequam fiat, de *Caere* Municipio nonnulla praemittenda.

De *Caere* haec apud Frontinum (1): *Caereate Mariana*. Sed corrigendum: *Caere, ante Mariana. Municipium. Familia C. Marii obsidebat. Postea a Druso Caesare militibus, et ipsi Familiae in iugeribus assignatum. Iter Populo non debetur.* Mariana ergo tempestate *Caere Municipium* dictum *Mariana* ex eo, quod *Familia* C. *Marii obsidebat.* Sed Frontini aetate, facta iam agri Caeretani a Druso Caesare adsignatione militibus una cum Mariana Familia, pristinum nominis honorem, novitio deposito, resumpserat. *Adsignatio* facta *in iugeribus*, hoc est veteri Pertica minime immutata. Tironum si quis ignoret, quid sibi velit formula: *iter Populo non debetur*, is adeat Commentarium nostrum vernaculo sermone editum, cui titulus: *Illustrazione dell' antica Campagna Taurasina.*

Caere Oppidum, primum extitisse romanum Municipium *sine iure* suffragii, novimus a Li-

---

(1) Goes. *de Script. Agr.* pag. 104.

vio (1), Gellioque (2). *Cum enim, Urbe a Gallis capta*, verbis utimur Everard. Othonis (3), *Caeretes Sacra Populi romani, ac Sacerdotes recepissent, publice cum iis hospitio facto* A. V. C. CCCLXIII; *concessum est, ut Civitatis quidem honorem caperent, negotiis tamen iuxta, atque oneribus vacaret.*

Marmor nostrum ad Classem referas Operum publicorum, utpote in quo de *Phetrio* agitur abs Ulpio Vesbino Augustalibus Caeretanis excitato, dedicatoque. Quod *Phetrium* est in titulo, Eustathio est φατριον, nempe τοπος, εν ῳ όι της άυτης φατριας συνηγοντο. *Locus, in quo conveniebant, qui Phatriae erant.* Inserto postmodum voci huic rhotacismo, de *Phetrio*, sive *Phatrio*, emersit *Phratrion.* Vide Gutherium (4). Tituli ή χρονολογια per se obvia. L. Publilius enim Celsus iterato Consul processit cum C. Clodio Crispino anno V. C. 866; qui Aerae Vulg. 113.

---

(1) Lib. V. Cap. L.

(2) Lib. XVI. Cap. XIII.

(3) Iliad 13.

(4) *De Iure Pontif.* pag. 271.

Ad Municipalem την τυ Municipii Caeretani οικονομιαν quod attinet, ne adnotasse, pigeat, qui illi praeerant, hos non IIviros salutari, quod in Coloniis perpetuo factum, existimamus, sed alterum *Dictatorem*, *Aedilem* alterum *iure dicundo*. At cur Aedili uni, non Dictatori, adpictum το IVRI DICVNDO? Anne Dictator non cum Aedile praeerat iuri dicundo? id vero cui credibile videatur? Certe in Municipiis Tusculano, Lanuvino, et Caeretano nostro *Dictator* summi rectoris potestatem obtinebat, et Magistratus Ordinarius censebatur. Vide Everard. Othonem (1). Sed fortasse in caussis gravioribus Dictator una cum Aedile ius dicebat; in levioribus unus Aedilis sine Dictatore. Illud certissimum est, Dictatorem Aedili dignitate et loco praestitisse. Aedilis autem noster Caeretanus Praefecturam quoque annonae Caeritum gerebat. Nunc Marmoris partes singulas ordine digeramus, sicque digestis, quam possumus, lucem inferamus.

1. Priores lineae tres tituli argumentum praeferunt, Phetrium nempe Augustalibus Caeritum

---

(1) De *Aedil. Colon.* Cap. III. p. 71.

a Vesbino, loco accepto a republica, exornatum omni impensa sua, donoque datum. Cuius splendidi Operis, munificentiaeque suae cum rogasset Vesbinus monumentum sollemne omnium oculis exhibendum, a Cuperio Hostiliano datum negotium T. Rustio Lysipono Scribae, ut ea Commentario Caeritum quotidiano prolato describeret, quae Vesbini votis facerent satis. Descriptio, descriptorumque recognitio facta in Pronao Aedis Martis. Sic res procedunt ad sextam usque lineam.

2. Continenter deinde descripta exhibentur Acta in hanc rem idibus Aprilis ann. Aer. vulg. 113 Magistratuum, et Decurionum Caeretanorum, qui corrogati fuerant in Templo Divorum. De *Templo Divorum*, sive Augustorum, consule, si lubet, Oliverium (1). Exponitur Vesbini consilium, quo petit, ut sub Porticu Basilicae Sulpicianae locus ei publice daretur, ubi Phetrium faceret Augustalibus, quod sine mora impetratum ex Decurionum consensu, gratiaeque Vesbino, ut par erat, actae ab universis. Placuit tamen ob eam rem Epistolam mit-

(1) *Marmor. Pisaur.* Not. n. VIII.

ti, Magistratuum, et Decurionum nomine, ad Curiatium Cosanum, qui *Curator* erat, et tunc temporis Ameriae degebat, qua de suo consensu in Vesbini voluntatem, Decurionumque decretum rogaretur, addito, *an in hoc quoque consensurus esset, ut Locus datus reipublicae in usu non esset, nec ullo reditu esse possit*: idest, nec eo tempore ulli reipublicae usui inserviret, nec emolumento ullo in posterum esse posset. Haec ad usque verba illa EPISTVLAM MITTI. versus 13.

3. Nomina deinde subscribuntur eorum, qui consilio, sive *Curiae*, adfuerunt-IN CVRIAM FVERVNT. quo loco notandus accusandi casus attributus praepositioni IN; cum de Statu agatur. Novem omnino Curiae adfuerunt, in quibus praefulgent M. Pontius, *Dictator*; C. Suetonius, *Aedilis iuridicundo*; et M. Lepidius Nepos, *Aedilis annonae*, intellige Caeretanorum: caeteri Decuriones meri. Iam finem attigimus versus 14.

4. Sequitur descriptio Epistolae Magistratuum, et Decurionum ad Curiatium Cosanum, quae data Idibus Augusti, idest mense tertio post Corrogationem Decurionum, ipsorumque acces-

sionem voluntati *Vesbini* de *loco petito*, *acceptoque*, quod notari volumus. Epistolam hanc consequitur Curiatii responsio, quae incipit a versu 19, et ad penultimum usque procedit, data pridie Idus Septembris Ameriae. In ea Curiatius, non tantum voluntati Decurionum se accedere libentissime fatetur, sed addit insuper, sibi in votis esse, ut tam honesta exempla etiam *provocari honorifica exornatione debeant*. Hactenus plana omnia. Duo nunc expedienda, quae viae luctamen praebere videntur, quo facilis ad finem usque pateat cursus.

1. Salivam cient Curiatii verba: *accedo itaque sententiae vestrae, non tanquam Curator, sed tanquam unus ex Ordine*. Quid τὸ VNVS EXS.ORDINE? Decurionem merum Caeretanorum intellige; ea enim vis formulae: *unus ex Ordine*; indeque datum intelligi, Curiatium profiteri, se Decurionum accedere sententiae, non *tanquam Curatorem*, sed *tanquam* et ipsum *Decurionem Caeretanorum*.

2. Inquirendum, quae sit *honorifica* illa *exornatio*, qua cumulatum vellet Vesbinum Curiatius ad *provocanda* in caeteris *tam honesta exempla* in reipublicae bonum. *Honorificam* inquit *exornationem*, non *onerosam*. Gratuitam

idcirco intelligere oportet, sive Dictaturam, sive Aadilitatem, sive *Decurionatum*, aut *Augustalitatem*, aut eiusmodi aliquid, sed *vacantem*, qualis *Adlectorum*, *Ornamentariorum-ve* erat, quod meri *honoris* erat, non sine emolumento aliquo, sine ullo *onere*. Quae omnia hic obiter adnotata, ex iis, quae infra dicentur, lucem, confirmationemque loco opportuniore recipient.

Loci denique concessione a Vesbino impetrata Idib. April. An. aer. vulg. 113. *Phetrium* Augustalibus Caeretanis absolvit inpensa sua, *exornavit*, *dedicavitque* Kal. Augusti, Q. Ninnio Hasta, P. Manilio Vopisco Consulibus, an. aer. vulg. 114; sexto supra decimum mense abs impetrata loci concessione.

ACT. IDIB. IVNIS. Q. NINNIO. HASTA. P. MANILIO. VOPISCO. CoS. Nota haec chronologica ἀπογραφον attinere videtur, quod sibi faciundum curaverat Vesbinus Phetrii ab se absoluti, donoque dato Augustalibus, inciditque in an. V. C. 867 aer.vulg. 114. Phetrium vero dedicatum Kal. Aug. anni eiusdem.

Ad ver. 6. notandum IT pro ID, alternante nempe, ut mos, T cum D; ut SET pro SED, QVITQVIT pro QVIDQVID, et innumera alia eiusdem generis.

In Puteolano Marmore, Puteolis effosso ad diem 28 Iunii anni 1752, insigne, nisi, fallimur, quadratarii supinitatis exemplar occurrit. Est autem tale:

II.

L. DOMITIVS. DEMETRI. F
DEMETRIVS. SVBVNC. DE. LIB
CONCORD. SIBI. ET. ARRVNTIAE
GENNAE. CONIVGI. BENE
MERENTI. ET. L. ANNIO. SP. F. PRISCO
ET. LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQVE
SVIS. EORVMQVE. OMNIVM. FECIT.

De Lib. Concord. reddendum quisque videt: *De Liberorum concordia.* Verum ecquid monstri illud SVBVNC? Vocem in duo dividendam censemus, ut habeatur: SVB. VNC; seu VNG. Deinde SVB transferendum post singulariam F. primae lineae, ad designandam Tribum *Subur.* vel *Succussanam.* Superest VNG, loco suo minime deturbanda, idest *Vnguentarius.* De τοις σφαλμασι scalptorum vide exempla compluria apud Marinium (1). Levi indiget medicina, quod sequitur, a Grutero (2) etiam relatum, et multa complectitur scitu digna.

(1) *Iscriz. Alb.*
(2) 637. n. 4.

III.

DIS. MANIB
M. VLPIVS. AVG. LIB. SYMPHO*rus*
FLATVRARIVS. AVRI. ET. ARGENTI. MONETAE
SIBI. ET. VEPIAE. HELPIDI. QVAE. ET. CLAVDIA. LIB. ET. VXORI. SV*ae*
VLPIAE. ARSINOE. FILIAE. ET. CLAVDIO. ANTHIOCIANO. FILIO
HELPIDIS. LIB. SVAE. FECIT. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. VTRIVSQVE. SEXVS
QVI. EX. FAMILIA. MEA. ERVNT. RELIQVIARVM. SVARVM
CONDENDARVM. CAVSA. ET. POSTERISQVE. EORVM. QVI
IN. NOMINE. MEO. PERMANSERINT
EA. CONDICIONE. NE. FIDVCIENT. NE. VENDANT. NEVE. ALIO
QVO. GENERE. IN. SEPVLCHRVM. SIVE. MONVMENTVM. EST
ALIENARE. VLLI. POTESTAS. SIT
H. M. H. N. S

Triplici chorda leviter oberratum. In lin. 2. loco της *Vlpiae* irrepsit *Vepiae*; in lin. 5. pro *Anthiociano* corrigendum *Antiochiano*. et in antepenultima IN. SEPVLCRVM corrigendum: *id sepulcrum*.

Flaturarii ab *auro*, *aere*, *argento flando*, de Monetalium Officina. *Vlpia Arsinoe*, *M. Vlpii Symphori* Filia sine ulla controversia. *Claudius Antiochianus* non item, sed *filiaster*, cui in gratiam Vlpiae Helpidis, uxoris suae, datus a Symphoro locus in sepulcro suo *familiari*. *Vlpia Helpis*, cum adhuc servitutem serviret, *Claudiae* nomen gerebat, *Claudiumque* genuit e quopiam fortassis *Antiocho*, quod nomen utique servile, quod palam fit ex indito eidem *Antiochiani* cognomine: nomen vero ei a Matre tractum, quod in *nuptiis non iustis*, quales inter servos, *partus sequitur ventrem*. Claudius idcirco a Symphoro dicitur *filius*, non equidem *suus*, sed *Helpidis*, *Libertae suae*, quae in libertatem asserta a M. Vlpio, eique matrimonio iuncta, Domini nomen sibi vindicat, qui *Libertorum* mos.

Sepulcrum, non *hereditarium*, sed *familiare*, ut diximus; eaque de re cavetur, ne *fidu-*

cietur, *vendatur*, aliove nomine de genere *alienetur*. *Contractus fiduciarius*, inquit Boethius, *quo pignus creditori ita mancipabatur*, *ut illud mancipanti remanciparetur*, *et restituendi fides interponeretur*. De *Fiducia* consule Mazochium (1), si placet. De *dato Fiduciae* haec Gutherius (2): *Datus fiduciae*, *licet pleno iure ad Fiduciarium non pertineat*, *ille tamen ita* DOMINVS *est*, *ut* DEBITOR *caussam dominii mutare non possit*, *nec locum* RELIGIOSVM *facere*, *cum locus alienus sit*. Contractus idcirco fiduciarius, quod DEBITORIS DOMINIO iniquus videretur, Constantini demum Constitutione est abolitus.

Nunc casus incidit singularis duplicis eadem de re epigrammatis, in quorum alterutro dormitasse, oportuit, scalptorem, at in quo, quis praestet? Utrumque oculis subiicimus.

---

(1) *Tab.* Heracl. p. 425.

(2) *De Iur. Man.* Lib. III. C. II.

IV.

AELIAE. SECVNDI
NE. QVAE. VIXIT
ANNIS. XXXXV
CASSIVS. VIETOR
B. M. FECIT

Vietor, seu *Vitor* a *vio*, seu *vieo*, ille est, qui ex vimine texto utensilia facit, ut Salmasio placet. Plauti locus ad rem (1):

Et vietorem, et piscatorem te esse, impure, postulas.

Verum non *Vietor*, sed *Victor* est in eo, quod sequitur:

V.

D. M
AELIAE. SECVNDE
M. F. QVAE. VIX
ANNIS. XXXXV
L. CASSIVS. VICTOR. CO
IVGI. B. M. FECIT

Probabile videtur, minime probatum, quod parum felici alite quadratarius primum exculpserat, huicque propterea alterum substitutum

---

(1) *Rud.* Act. IV. Sc. III. v. 51.

paullo explicatius, mendisque purgatum, quae primo irrepserant; cujus rei datum est nobis marmora tractantibus exempla nonnulla deprehendere. Quod si cui placet, titulum alterum ab alio secernere, ut alia sit *Aelia Secunda*, alia *Aelia Secundina*, itemque alius *Cassius Vietor a L. Cassio Vietore*, nodus omnis se ipso dissolvitur.

CAP. II.

Quadratariorum, descriptorumve in Monumenta quaepiam τα σφαλματα.

In quadratarios, descriptoresve Marmorum antiquorum eccui ignotae eruditorum querimoniae? Haud raro hi, sive inscitia, sive supinitate, in veterum monumentis exhibendis dormitant, interdum et in aurem utramque dormiunt, non sine magno rei epigraphicae periculo. Innumera apud antiquitatis Curatores vitii huius exempla videre est, inter quos commendanda potissimum Marinii, Hagebunchiique industria. Literas interdum alias cum aliis foede commutant, syllabas non raro aut omittunt, aut du-

plicant, verborum ordinem, interdum et linearum integrarum seriem interturbant, mare caelo miscent, additis ad haec nexilium characterum formulis, quae Delio egent natatore. Placitum, de penu nostra selecta aliquot exempla proferre, non sine medicina, quantum per vires licuit, opportuna.

De Borgiano olim Museo occurrit lapis huiusmodi;

I.

MALIE. ROMANE
ATILIVS. PANTERISc
CVNQ. VIX. N. XI. M. VIII. D. XV
CONI. ET. NA. ERENNIA
IRENE. FIL. FECERENNIA
DVLC

Primae duae prospere procedunt. Ὕστερον πρότερον in 3. et 4. In 5 post. FEC. loco τῦ ERVNT, repetita vox postrema ERENNIA versus proxime superioris. Singula loco suo hoc ordine reddenda:

Malie Romanae
Atilius Panteriscus Coniugi
Cum qua vix. an. XI. M. VIII. D. XV.
Et Erennia Irene Filia, ſecerunt
Dulc

Nempe 1. CONI. seu Coniugi lin. 4. transferendum ad initium lineae secundae.

2. NA eiusdem lin. 4. recudendum in AN, addendumque alterum N. lineae praecedentis, ut sit ANN.

3. Nexus E lin. 4. resolvendus in ET.

4. Ad lin. 5. post FECER. delendum ENNIA, quod de linea superiore aliud cogitans scalptor intrusit, supplendumque VNT, ut habeatur *Fecerunt*. Nec minus facessit negotii Borgianum hoc alterum, quo nescio fato, quasi chordis oberrans iisdem.

II.

D. M.
C. VIBIVS. C. F. CELER
VIX. ANN. IIII. MENSIBVS. XI
FRVM. AC. D. VII. OSTIO. XV
VIBIVS. CELER. F. SVO

Sic videtur restituendum.

C. Vibius. C. F. Celer
Vix. ann. IIII. *Mensibus*. XI. D. VII
Frumentum. accepit. Ostio. XV
Vibius. Celer. Filio. suo

Puerum namque Ostiensem alimentarium fuisse C. Vibium Celerem, probabile videtur, un-

de publice frumentum accipiebat. Quamobrem nota XV. numerica lineae quartae facile tesseram frumentariam insinuat, qua Vibius donatus fuerat.

Pupus superne flagellum dextra, sinistra vero canem ligaculo agitans. Verum ecquid Farnesiano huic alteri faciemus, quod nisi ipsi exscripsissemus, vix credibile nobis, usque adeo in eo potuisse scalptorem dormitare?

III.

G. M. T
L. OCTAVLO. L. F. OVE
PATERNO. COMO. MIL
CON. VIIII. PR. MONTAIVL
MIL. AN. XII. VIX. AN. XXX
M. IVLIVS. PROBVS. HER
B. M. F.

Cum non infrequens in veterum titulis occurrat *Genii Manium* recordatio, prioris lineae initiales G. M. T., si lubet, sic interpretator: *Genio Manium titulus.* Inscriptionem denique omnem pessime habitam ita recude.

L. Octavio L. F. *Ouf.*
Paterno. Como. Milit.
Coh. VIIII. *Praet. Montaiul.*
Mil. An. XII. V. *An.* XXX
M. Iulius. Probus. Heres
B. M. F.

Nam L. Octavium Paternum, Tribu Oufentina, patria Comensem arbitramur, genere Libertinum. *Montaiulii* nomen videtur eius, qui Cohorti VIIII. Praetoriae praeerat. De Danielii fragmento, quod subiicimus, non in omnibus bene meritus vir emunctissimae naris Marinius (1).

IV.

.. ER. HERCVLANO. EQ. *singu*
*lari*O. TVR. TERTVLLI....
.. MOES. INF. VIX. *ann*
.. XXXV. MIL. AN. XVII
.... VS. ANTONINVS
.... VR. LONGINVS. ET
.... TA. MAXIMA. COIVX

Ad basim Miles Equo incitato insidens *Equitem* referens *singularium*. De *Turma Tertulli*

(1) Iscr. Alb. p. 70.

consule Fabrettium (1). Haec vero Marinii in fragmentum nostrum peccata.

1. Ad fin. lin. 2. pro EQ. habet DO.
2. Ad lin. 3. pro *Turma Tertulli* obtrudit: TER. PVBLI.
3. Ad lin. 6. loco τȣ VS, exhibet notam numericam 4.
4. Ad lin. ultimam pro TA, habet NIA.

Sed gratiae tamen habendae Viro summo, qui Marmoris fini addit: VALIRIVS. F. B. M. F; quae nunc frustra in Fragmento nostro requiras. Et quoniam de *Equitibus Singulariis* iniecta mentio, non abs re fuerit, alteri marmori modicam medicinam afferre ex tribus fragmentis Farnesianis hac illac dispersis, nostraque cura in unum compactis.

V.

AVREL.VICTORI.EQ.SING.IVR.CONSTANTINI
NAT. DACVS. ALLECT. EX. ALA. I. ILLI
*ri*COR. VIX. AN. XXXIII. MIL. AN. XIII
VLPIVS. MACEDO. ET. VLP. MATERNVS
DVPL. HERED

(1) Pag. 358. n. 80.

Fabrettius pro IVR, habet TVR. contra Marmoris fidem. Erant itaque *Equites singularii iurati*, qui sacramento nempe obstringebant se pro vita Principis tuenda. Vocem DVPL. idest *duplarius*, singulari casu accipias, et ad unum Vlpium Maternum referas, HERED. vero casu plurali, et ad Vlpium utrumque trahito.

Malvasia (1) in ea versatur opinione, vocem TVR. seu TVRM. reddi posse *Turmarcum*, si nullum sequatur nomen proprium. Turmarchum autem interpretatur *Praefectum turmae*, qua de agitur. At vox sane duriuscula, immo hibrida penitus, cuius nullum cieri exemplum potest, cum certum aliunde sit, qui *turmae* alicui praeerant, hos proprio nomine Praefectos fuisse nuncupatos. Sanioris ergo consilii videtur, vocem *Tur.* seu *Turm.* pro *Turma* mera accipere, sequatur licet, vel secus, nomen proprium quodcunque *Praefecti Turmae*. Idque eo veri similius videtur, quod perpetuum minime sit in titulis nomina *Centuriae*, *Cohortis*, aut *Legionis* apponere, quibus adscripti

---

(1) Marm. Felsin. p. 265.

milites forent, quos haud raro MILITES, VETERANOS, aut EQVITES. ROMAN. TVRM. απλως nuncupatos videmus.

Duplariis, seu *Dupliciariis*, duplex erat stipendium constitutum. Gutherius (1) *Decreti Domitianei* occasione deceptus, praeter *Duplarios*, *Quartanos* admittit, quibus stipendium quadruplex deberetur. Sed *Quartani*, de quibus in Domitiani decreto iniecta mentio, ad Augustaea tempora referuntur, iique intelligebantur, qui in *Quarta* Legione militabant, ut *Quintani* in V., *Primani* in I; *Decimani* in X, et ita porro. *Duplarios* autem minime *perpetuos* fuisse, idest κατα τον βιον, palam facit Danielii titulus de Aruleio Restituto, manipulo *Trieris Libertatis*.

VI.

D. M.
C. ARVLE. RESTITVTI
MANIP. III. LIBERTAT
NAT. AFER. MIL. ANN. X
VIXIT. ANN. XXXI
FLAVIVS. MARCEL
LVS. FABER. DVPL. PERP

(1) De off. p. 314.

Qui *Duplarii* ergo absque τῷ τε PERP. σχήματι in titulis prodeunt, hos temporariis adcensebimus. E Museo olim Francisci Danielii. Sed crucem figit Inscriptio Herculanensis, scalptoris libidine, literarum plexu ita involuta, ut de iis vere cum Plauto dicas, *liberos videri sibi quaerere*. Quam primo referemus, deinde a characterum veluti fasciis mirifice implexam expedire pro viribus conabimur. Est autem huiusmodi:

VII.

D. M.

Q. PANENT. QVINT

IANI. M. L. CL. PR. RA

III. AESC. N. DL. ☩. ☩

C. POSTVM. VANS

PR. HER. TE. M. PLA

RENTVS. SIRIO

SVB-E. PROC. MEREN

Agitur sine controversia de *Milite Classis Praet. Ravenn.*, cuius nomen *Panentius*, Grutero ignotum. Hic militavit *Triere Asculapio*. Singularia N. lineae 4. *Nationem* insinuat. Verum ecquid DL? *Del.* accipimus, et *Delium* interpretamur. Nexus in fine lin. 4. literas TS prae se fer-

re videtur. Anne *Testamentum*? id veri simile videtur, si nota numerica habenda sit cyphra subsequens. XXXIII. N; ut sensus sit, hanc summam testamento a Panentio adsignatam C. Postumio Valenti, Heredi priori, et M. Plarentio Sirioni, Heredi Substituto, et Procuratori. Quibus positis, sic titulus extricandus videtur:

D. M.
Q. Panentii. Quint
iani. Mil. Cl. Pr. Raven
III. *Aesculap. Nat. Del. Test.* XXXIII. N
C. Postumius. Valens
Prior. Heres. et. M. Pla
rentius. Sirio
Substitut. et. Procur. Merenti

Et quando de Heredum ordine sermo est institutus, ad rem prodit titulus Gruterianus (1), levi indigens medicina ob vulnus a quadratario inflictum.

(1) Pag. 569. n. 10.

VIII.

D. M
M. VLPIO. MATVRO. SIGNIF
TVR. SERENI. EQ. SING. IMP
N. NATIONE. NORICVS. COL. C
VIRVNO. VIX. ANN, XXXVIII
MIL. ANN. XXXIII. AVR
MESSOR. SIGNIF. HERES
AVR. NOVELLIVS. ARMORVM
CVSTOS. SECVS. HERES
VLP. AELIVS. LIBERTVS
EIVS. AMICO. ET. MVNICIPI
OPTIMO. BENE
MERENTI. FAC. CVR

Gruterus, marmore reclamante, bis compendio dat HER. pro HERES. M. Ulpius Maturus cum Vlpio Aelio, Liberto, amico suo, et Municipe, Traianalem arguit aetatem. Hic *Signifer* fuit *Turmae Sereni Equitum singulārium Imperatoris* NOSTRI; sic enim intelligenda singularis N. initio lineae 4. *Equites singulares* ab Augusto primum instituti. Ad *Viam Labicanam sepulcrum* his Equitibus constitisse, docet Fabrettius (1). COL. C. VIRV-

(1) Pag. 360.

NO fortasse *Col. Claud. Viruno. De Viruno* Vide Gruterum (1). Hactenus nullum viae impedimentum. Luctamen praebent verba illa ad fin. vers. 9. SECVS. HERES.

Haesit ad haec Magnus Muratorius, haesimus et nos. Sed viam stravit *Aurelius Aurianus*, *Secundus Heres*, apud Fabrettium (2). Ergo in Marmore nostro SECVS recudendum est in SECVNDVS. De *Herede* secundo insignis est Horatii locus (3).

Si cui praeterea validus male filius in re
Praeclaro sublatus aletur, ne manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Arrepe officiosus, ut et scribare SECVNDVS
HERES.

Haec iam scripseramus, cum in Clarissimi Marinii locum incidimus, in quo iamdudum praeoccupata haec omnia nostra, non sine grati animi sensu, legimus. Veritatem enim sine fuco quaerenti perinde acceptum est, sive doceri cum a viris doctis contingat, sive ipse per

(1) Pag. 108. n. 7.
(2) Pag. 357. n. 70.
(3) Sat. V. L. II.

se, veluti per viam, cum iisdem conveniat. Quadratarii culpa turbatus ordo linearum in titulo sequenti de Danielii Museo, et ad *Sacrorum* Classem referendo:

VIIII.

M. ACILIVS. A. F. VOT. D. D. L. D. D. D
PRISCVS. EGRILIVS. PLARIANVS
PRACF. AERARI. MILI. PAR. PON
VOLCANI. ET. AEDIVM
SACRAR. P. C. CLVPEV. MAR. CVM
IMAGINE. AVREA

Τῷ σφάλματι lin. 3. in qua *Pracf* pro *Praef* irrepsit facili negotio occurritur. Aliter res se habet in linea prima, quae foede cum secunda in unam coit. Lege igitur sic:

Voto. don. datum. Loc. dat. decr. Decurion.
M. Acilius. A. F. Priscus. Egrilius. Plarianus
Praef. Aerarii. Milit. Parthic. Pontif
Volcani. et. Aedium
Sacrar. Ponend. curav. Clupeum. Marti. cum
Imagine. aurea

Levior medicina eius, quod sequitur.

X.

D. M. S
BABVLLIAE. VIRILLAE
CONIVGI B. M. FECIT
M. STATILIVS. AVGVSTALIS

Mam Gruterus, *Babulliae* loco, habet *Babilliae*, cui Fabrettius *Rabulliam*, longius a vero aberrans, substituit. Cippus nunc Calenus proferendus, qui olim prostabat ad Viam Consularem, citra Tabernam, quam vulgo *Turricellam* nominant.

XI.

P. TAPSENNA. P. F. PROCVLVS
MILITAVIT. CHOR. X. PR. SIBI. ET
PETTIAE. VRBANAE. CONIVGI
QVICVM. VIXIT. ANNIS. XXXII
CVIVS. DOLOREM. ACCEPIT. ANIMO
NVLLVM. NISI. MORTIS. EIVS. TEM*p*
P. TAPSENNA. L. F. PATRI. ET
Q. TAPSENNAE. P. F. ET. FRATRI

Exemplum manifestarium nominum gentilium etiam desinentium in A, ut in *Caecina*, aliisque paucis generis eiusdem. P. Tapsenna Proculus, *Miles Coh. X. Praetoriae* monumentum sibi statuit, et *Pettiae Coniugi*, et P.

Tapsennae Patri, et *Q. Tapsennae Filio eius*, *Fratrique* suo. *Pettiam* gentem canit Horatius (1), deque C. *Pettio*, *C. F. Pal. Philtate*, memorat Gruterus (2). Iure igitur a *Simpettia*, ut legit Fabrettius (3), tamquam a monstro, abhorrent Hagenbuchius, et Bouhierius. Quamquam non in hoc uno de titulo nostro male meritus Fabrettius, quem tute ipse adeas nostra cum suis conferendo. Non est tamen, cur in Fabrettiano hoc monstro extorquendo nimium sibi cun Bouhierio plaudat Hagenbuchius, Donianum typum secutus. Nam et IIIviri hi omnes *Tettiam* pro *Pettia* supponunt.

Adeo multum est, veterum titulos suismet, non alienis, oculis legere!

---

(1) Epod. Od. XI.
(2) Pag. 175. n.
(3) Pag. 36. n. 11.

XII.

T. AVR. T. F. POMPT
CLITO. DECCOLL. FID
R. VIXIT. ANN. VIII. M.
IIII. *d.* XXII. AVR. NICE
PHORIANVS. ET. FILVME
NE. FILIO. DVLCISSI
MO. B. M. F.

Anguis latet in linea 2. ad voc. DECCOLL; quae sine dubio in duo dividenda est, idque duplici modo. Aut enim nullam heic redundare literam volumus, legendumque DEC. COLL. *Decurialis* videlicet *Collegii Fidicinum Romanorum*, ita namque accipiendum videtur FID. R. At puerun quadrimun *Decuriali* praestitisse dignitate in *Fidicinum Collegio*, idque sine caussa adiecta, quis sibi in animum induxerit? Redundare potius dixerimus literam C. corrigendumque: DE. COLL. idest *de Collegio*, quod sponte fluit sua. Ita qui cum Fabrettio sentiret, *Decuriales* suis praefuisse *Decuriis*. Sed recte observatum a Morcellio (1), qui *Decuriis* praeerant, hos *Magistros Decuriarum*

(1) De Stil. pag. 84.

appellatos; Decurialesque proinde eos fuisse dictos, qui non erant extra numerum, legitimumque locum occupabant. Nihil ergo per nos innovandum in marmore. Lenissima opus est medicina huic, quod sequitur:

XIII.

D. M.
L. VALERIVS. VALENS
MANIPVLARIS. LIB
IVSITIA. NAT. BESSVS
STIP. XXVIII. VIXIT. ANNIS
XLVIII. VALERIVS. PRISCVS
ƒILIVS. ET. HE. EIVS. PATRI B. M. F

Pro *Iusitia* vers. 4. corrige IVSTITIA. Habebis Manipularem *Liburnae Iustitiae*. *Iustitia* dat Marinius (1), sed marmore invito

XIIII.

D. M
M. VALERI. MARCINI
III. VENERE. NAT. SYR
MIL. ANN. XVI. VIXIT
ANNIS. XXX*x*V. HERES
IVLIVS. HERMOGENES
III. PACE. B. M. F

---

(1) Tav. XXXII. p. 358.

E Museo olim Ducis Noiani. Refert Hagenbuchius (1), cum quo communicaverat Gorius, qui tamen pro *Valeri*, ut est revera, habet *Valerio*. *Pacis* nomen Trieris, quod mala alite quidam IN. PACE reddiderunt, quae Christianorum formula.

Biga marmorum Borgianorum, quam refert et Cl. Marinius (2), pessimis insculpta characteribus, ut non modicum legenti facessat negotii, correctione non indiget, nam male exceptum a Muratorio, et Ficoronio, strenue restituit Vir summus: indiget tamen interprete. Prima sic se habet:

XV.

A. POSTVMIVS. POSTVMIAE. L. HERACLIDA
ROG. MAG. QVINQ. CONLEG
APPARAT. ANNAL. ITERVM

Alterum huic simile affert mox laudatus Marinius:

C. Cossutius. C. L. Crispus
Rogator. idem. Cognitor
Mag. Quinq. Annal

---

(1) Ep. Epigraph. p. 609,
(2) *Iscr. Alb.* 24. 140.

Postumius itaque noster *Heraclida*, *Postumiae* Libertus, et *Rogator*, et *Magister Quinquennalis* iterum extitit *Collegii Apparatorum Annalium*. Collegium hoc arbitramur *apparationibus annalibus Ludorum* praefuise, facile *Scenicorum*. Nec turbare debet τὸ ANNAL; cuius vocis potestas non ea putanda, ut *Ludi* hi semel anno celebrarentur; sed ἀοριστως potius, idest *Apparatores Ludorum*, quos per annum celebrari contingeret. *Rogatores*, Sigonius docet (1), eos fuisse, qui in Comitiis Curiatis *cistam deferrent, in quam tabellas suffragii populus coniiciebat*. Sed in re nostra quid *Rogatori* huiusmodi cum Comitiis Curiatis? Idcirco veri simile videtur, in Ludorum apparationibus *Rogatores* eos fuisse, qui et Cistam deferrent, in quam tabellas, seu tesseras ludorum susciperent. Quae si vera sint, pronum etiam est coniicere, fortasse *Cognitores* in Ludorum apparationibus eos exstitisse, qui accedentes cognoscerent, utrum admittendi, quove loco, aut ordine collocandi.

---

(1) Lib. I. Cap. III.

XVI.

A. POSTVMIVS. POSTVMIAE
L. HERACLIDA. ROGATOR
BENIFICIVM. CORNELIAE
C. L. PHILAENIS. CONIVNX

Ne plura. Titulus videtur Postumio positus a sua *Coniuge*, cuius nomen exemplo haud novo, reticetur. Quid igitur illud: *Benificium Corneliae*, C. L. *Philaenis? Beneficium* pro *Immuni* accipimus, Postumiumque credimus, liberalitate *Corneliae*, C. L. *Philaenis*, Collegii *muneribus* vacasse. Quod si quis PHILAENIS nomen Coniugis fuisse, contendat, huic minime repugnamus, et Epigrammatis sententia perinde constat.

XVII.

D. M
SILIO. VICTORI. FILIO
ET. NAEBIAE. AMOEBE
CONIVGI. ET. SILIAE. VICTORIAE
FILIAE. SVAE. P. SILIVS. VICTOR
TRITOR. ARGENTARIVS. F. S. ET. S
L. L. POSTERISQVE. EORVM.

De penu Farnesiana. *Naebia* pro *Naevia*, alternantibus, de more, literis B, et V. De *Tri-*

tore argentario nullum hactenus verbum, quod sciamus. *Officinatores monetales* minime heic arcessendos, putamus. De *Argentariis*, sive *argenti artificibus*, rem esse, credibile videtur; *tritoremque argentarium* eum intelligemus, cui cura imposita argentum in minuscula frusta terendi, argentariorum usibus accomodata.

CAP. III.

Eruditorum in titulis, sive describendis, sive explicandis halucinationes.

Primum exemplum ab eo petatur, quem refert Gruterus (1), aliique, estque huiusmodi:

I.

STRVCTVRA. CVM. MVNITVRA. SARTOPHAGI. VETVRI
FELICIS. P. P. SVIS. IMPENDIS. FECIT. FELIX. AVG. LIB
ADIVTOR. TABVL. ARAT. QVI. SORTITVS. EST. IN, CONTVBERN
SVO. ARRIAM. RVFINAM. QVAE. FVIT. VXOR. EIVSD. VET. FELICIS
LOCVS. CONCESSVS. AB. T. AEL. ASCLEPIODOTO

---

(1) Pag. 590. n. 7.

In duobus peccavit Scalptor levissimi momenti. In vers. 1. *Sartophagi* pro *Sarcophagi.* In versu 3. ARAT. pro A. RAT. Agitur enim de *Adiutore Tabularum a rationibus*, nisi forte sermo sit de *rationibus aratoriis*, quod nec affirmare, nec impugnare, est animus. Arria igitur Rufina nupserat ante Veturio Felici: hoc vita functo, eamdem sortitus est *Contubernalem* Felix, Augusti Libertus, qui hac de caussa *structuram* cum *munitura* fecit *sarcophago* Veturii Felicis. Atque haec obtinere apud omnes, aequum est. Difficultatem ingerunt singulariae P. P. lineae 2.

Smetius reddit *Patrem Parentis*, quod plane arbitrarium, atque ατοπον. Hagenbuchius conatu gigantaeo transfert ad initium lineae proxime sequentis, legitque: P. P. ADIVT. TABVL. A. RAT; *Praepositum* nempe *Adiutorem Tabularum a rationibus*. At sanioris sine dubio consilii videtur, nihil innovare, et singularias P. P. *pro pietate* interpretari, cuius pietatis caussae Felicis erga Veturium satis in titulo insinuatae. Nunc cum Cl. Danielio nostro levis, et amica velitatio. Marmor ille refert (1) quod ita se habet: ———

(1) *Numism. Cap.* p. 78.

II.

N. PVMIDIVS. Q. F	M. RAECIVS. C. *fil.*
M. COTTIVS. M. F	N. ARRIVS. M. F.
M. EPILIVS. M. F	L. HELOLEIVS. P. F
C. ANTRACIVS. C. F	C. TVCCIVS. C. F
L. SEMPRONIVS. L. F	Q. VIBIVS. M. F
P. CICEREIVS. C. F	M. VALERIVS. L. F SM

HEISCE. MAGISTREIS. VENERVS. IOVIAE. MVRV
AEDIFICANDVM. COIRAVERVNT. PED. CCLXX. ET
LOIDOS. FECERVNT. SER. SVLPICIO. M. AVRELIO. CQF

Ad finem lineae 6. parte dextera vir doctus pro SM dat ZM, ingenueque profitetur, nescire se, quid haec sibi velint. Nobis persuasum est, quadratarii supinitate, aut ignorantia irrepsisse S forma inversa S, quod typi vetant fideliter exhibere, legendumque S. M = *Scripti Magistri.* At cur non S. S. idest *supra scripti?* quod non *infra*, sed continenter ad latus ipsius lineae notatum. Statim enim post in linea sequenti resumitur: HEISCE. MAGISTREIS. Queritur item vir doctus de Apiano, quod ad finem versus ultimi pro COS obiecerit. CQF. At ita plane Marmor se habet. Plusquam tamen veri simile videtur, id scalptoris negligentia accidisse, qui in hoc lapsus est, ut ante in forma inversa literae S.

Galbae cum L. Aurelio Sulpicio Consulatus incidit in an V. C. 610; marmorisque in hoc ἡ ορτογραφια consentit. Sed in Marmore *Marci*, non *Lucii* praenomen Aurelio tribuitur. Si de Quadratarii fide constaret, nulla per nos mora, quin vulgatum Lucii praenomen apud Fastographos in Marcum recuderetur. Caeterum *Marci* praenomen una Gruteri (1) inscriptione se hac-

(1) Pag. 871. n. 2.

tenus tuetur, pro qua quis vadimonium suscipiat?

VENERVS pro *Veneris*, notus ὁ ἀρχαϊσμος. Titulus nunc alius in medium proferatur, palmare Maffeianae libertatis exemplum paullo intemperantioris, qua abreptus labitur saepiuscule Vir summus in iis, quae ad vetustatem pertinent.

Titulum refert inter caeteros Marinius (1), estque eiusmodi:

(1) *Osserv. Tav.* XXXIIII. p. 343. *in Not.*

III.

SOMNO. AETERNO. SACRV
AELIA. ARSINOE. ET. AELIVS. HILARVS. ET. AE
LIVS. TIMOTHEVS. IVNIOR. ET. P. ANTONIVS
ARSINOVS. ET. P. ANTONIVS. MARINVS. SE
VIBI. FECERVNT. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS. LIBER
TABVSQVE. EORVM. NE. DE. NOMINE. EXIAT. LOCVS
CONCESSVST. AELIO. TIMOTHEO. PATRI. SOLEVM. I
ITEM. P. ANTONIO. ZMARAGDO. NVTRITORI. SOLEVM. I
ET. AELIO. POICRONIO. SOLEVM. I. ITEM. QVITQVIT
HVIC. MONIMENTO. SIVE. SEPVLCRO. ATPLICITVM
INSTRVCTVM. AEDIFICATVM. EST. ET. SI. QVA. MACERIA
SECVNDVM. SE. IBI. ATPLICITA. EST. EA OMNIA
HVIC. MONIMENTO. SIVE. AEDIFICIO. CEDANT. QVOD
SI. QVIS. HVNC. MONIMENTVM. SIVE. AEDIFICIVM. DONATIONIS
CAVSAM. VEL. ALIOQVE. NOMINE. TEMPTAVERIT. FACERE. DAMNAS. ESTO.
AERAIO. PO
PVLI. ROMANI. HS. LM. N. ITEM. V. V. HS. IM. N

Titulus plane archaicus, ut legenti primo intuitu palam est ex una eius τὴ ορτογραφια, ut alia missa faciamus. Peccat in paucis Quadratarius, cui ad vocem POLICRONIO vers. 9. excidit litera liquescens, unde POICRONIO.

Monumentum hocce, sive *sepulcrum*, non *hereditarium*, sed *familiare* dixeris Gentis *Aeliae*, Antoniaeque, *de* quorum *nomine ne exeat*, praecavetur multis pecuniariis, quarum pars Aerario pop. rom. inferenda, pars eroganda Virginibus Vestalibus. Multis sepulcralibus solos adfici heredes, censuerunt Patinus, Cuiacius, et Mazochius noster (1). Has tamen rectius pro utraque contrahentium parte statuit Marinius (2). Quidquid Monumento huic, sive sepulcro, *adplici* in posterum, *instrui*, *aedificari*, et si qua iuxta locum eumdem maceriam adplici contingat, ea universa in Monumenti beneficium cedere, praecipitur. *Adplicere* est IVXTA *ponere*; *instrui* INTVS; *aedificari* demum quidquid Monumenti aedificium ATTINET.

---

(1) *De Asc.* p. 40.
(2) *Iser. Alb.* p. 73.

DONATIONIS. CAVSAM. VEL. ALIOQVE. NOMINE. TEMPTAVERIT. FACERE. Legendum putamus: *donationis causam*, *vel* ALIO QVOQVE NOMINE. Excidit enim fortasse scalptori syllaba QVO; nisi potius dicere velis, voci ALIOQVE τὴν αοριςικὴν quoque olim tributam fuisse significationem, ut steterit pro *quovis*, seu *quocunque*. Non igitur unius *donationis caussa*, sed alio quovis de *nomine*, puta *venditionis*, *commutationis*, *fiduciae* alienari de gente, inhibetur. Forte etiam et nexus ille CAVSAM. ita solvendus: *causa mancipare*. Cuius formulae exemplum, inter alia, vide in hoc Farnesiano Fragmento:

COSMVS. AEDITVVS. MATRIS. D. *M. Istd* ANTIOCHO·SACERDOTE.ANNIS.XII.EIVSD. AB. IMP. AVGVSTO GRATIS. MANVMISSVS. OL... SVNT. SVNT. HS. N. I. DONATIONIS. CAVSA. MANCIP..

Nunc de *Soleis*, sive *Soliis sepulcralibus* cum Maffeio iure agendum.

Solia fictilia memorat Plinius, quae nonnulli perperam cum DOLIIS FICTILIBVS commutare aggressi sunt. Celso, singulari acceptione, quae apud medicae artis professores deinde

perennavit, *solium* est *Balineum*. At in Marmore nostro *Solia* sine controversia *loculamenta* sunt integro cadaveri recipiendo idonea; in quam significationem usurpatam quoque videas vocem eamdem a Curtio, et Floro. Neque porro dubitandum, ab hac *Solii* propria acceptione derivatam Celsianam illam, minusque propriam, qua *Balineum* denotatur. Corpora enim viventia ita fere *Balineo* aptantur, ut suis cadavera loculamentis. Quid igitur τῶν ἀρχαιλογων principi faciemus, qui *Solium* pro loculamento sepulcrali *mirum commentum* pronuntiat (1)? Et ne in quaestione hac ullus dubitando locus relinquatur, en fragmentum aliud opportunitate ipsa opportunius.

---

(1) *Art. Crit. Dipl.* p. 242.

IV.

D. M

FL. VICTORIA. ET. FL. AGATH*e*
*si*BI. ET. LIBERTIS. LIBERTABVS
*Poste*RISQVE. EORVM. Q. TITIVS
Q. TITIO. FORTVNATO. PATRI. *bene*
MERENTI. EX. DONATIONE. V*ivo*
*rum. e*XCEPTO. SOLIO. VNO. VSQVE. AD
*Aedicu*LAM. INTROEVNTIBVS. IN. MO*nu*
mentum. PARTE. DEXTRA. . . . . .
. . . .

Itane *Solium* pro *Loculamento sepulcrali* mirum commentum? Nec minus praesidio eget contra Maffei impressiones Farnesianum, quod sequitur:

X.

SEX. POMPEIVS. FAVSTVS
SEX. POMPEI. EXACTOR
QVISQVIS. ES. HOMO. ET. VOS. SODALES
MEOS. CVNCTOS. ROGO. PER
DEOS. SVPEROS. INFERNOSQE
NE VELITIS. OSSA. MEA. VIOLARE

SEXTIAE. L. TERTIAE
TONSTRICI
SEXTIA. XANTHA
SCR. LIBRARIA
EM. OLL. II

*

Recitatur a Grutero (1). Quid Maffeius? Caussatur in primis, Faustum, hominem trinomium, *Exactoris* officio fungi. Quasi novum, monstrique instar sit, Libertos, Libertinosve in Dominorum perdurare servitio! Offenditur deinde formula QVISQVIS ES cum caeteris. Ex quo illud verendum, ut qui Maffei usum ignorant in veterum titulis pertractandis, hi facile peregrinum illum credant in titulorum sepulcralium lectione.

Multus praeterea est in linea prima alterius Epigrammatis exagitanda, quod a dextro positum; rogatque, ecquid sit *Sextiae L. Tertiae Tonstrici?* Nimirum *Sextia* ipsa, gentis *Sextiae Liberta*, et *Tertia Tonstrix*, quibus ambabus condendis Sextia Xantha, scriba Libraria, emit Ollas duas. Minus prolixa eget peroratione Farnesianum hoc alterum:

VI.

Q. CAELIO. Q. L. ELAIN..
Q. CAELIVS. Q. L. VE*s*
PER. VESTIARIVS
TENVIARIVS

---

(1) Pag. 594. n. 6.

Cuius postremae vocis occasione male olet Maffeio (1). Atqui male profecto veteribus foret monumentis consultum, si de illorum idcirco foret τῃ αυθεντιᾳ dubitandum, quod in iis vox una, aut altera deprehenditur parum in Lexicis obvia. Immo Lexicis ipsis pessime consultum, quibus augendis tam praeclari fontes occludantur. Consentiunt itaque viri docti, *vestiarium tenuiarium* a vestium *tenuitate* dictum, non a *taeniis*, quae Gutherii (2) sententia fuit. Quod si verum obtineret, prior syllaba dyphtongo AE fulcienda sine cunctatione fuisset, quod secus factum videmus. ELAIN.. pro ELAVN, alternante, ut mos, I cum Y. Ergo *Elauni*, vel potius *Elavnontis* απο τε ελαυνειν = *agitare*, unde noster *Agitator*. Prolixiores aliquanto simus, oportet, in alio Farnesiano titulo tuendo, qui *de Sacris* est.

---

(1) Art. Crit. pag. 556. et 389.

(2) *De* Off. *Dom. Aug.* p. 543.

VII.

VICTORIAE
IMP. CAESARIS. VESPASIANI
AVGVSTI
SACRVM
TRIB. SVC. CORP. IVLIANI
C. IVLIVS. HERMES. MENSOR
BIS.HON.IN.CVRAT.FVNCTVS.ET.NOMINE
C. IVLI. REGILLI. FILI. DE. SVO. FECIT
CVI. POPVLVS. EIVS.CORPORIS.IMMVNITATEM
SEX. CENTVRIARVM. DECREVIT

Refert Gruterus (1). Nasum suspendit ὁ κριτικοτατος (2), quod se *non capere*, ait, *quomodo Tribus Succussana monumentum ponat*, *quod Hermes*, *nomine etiam filii sui*, *de suo facit*; *nec quid sibi velit* IMMVNITAS SEX CENTVRIARVM *eidem decreta*.

Cui datum, universa capere, huic fas esto, suspecta, immo falsa, habere, si quae minus assequitur. Qui minus honorifice de se sentiunt, hi capitalem omnino sibi reputent canonem hunc Maffeianum, in re potissimum Epigraphica, quo vir summus saepiuscule abutitur. Sed age singula discutiamus.

(1) Pag. 871. n. 2.
(2) *Art. Crit. Dipl.* pag. 309.

1. Itane captu difficile, C. Iulium Hermetem, professione *Mensorem*, nomine etiam filii sui, impensas in se recipere *Sacri*, quod Tribus Succussana Corporis Iuliani facit Victoriae Imper. Caesaris Vespasiani Augusti? Sacri expensis et addenda pecuniae solutio pro titulo sane magnifico statuendo, perenni tantae rei testimonio. Cui haec non obvia ex ipsa tituli lectione?

2. Nec felicior ad marmor evertendum altera Maffei impressio. *Tribus Suburrana*, et *Sucusana* dicta. Non Tribus haec omnis in *sacrum Vespasiano* convenit, sed illius pars tantum, quae sub *Corpore Iuliano* coibat, quod in *sex Centurias* videtur distributum, cui sua quaeque munia erant iniuncta. Quamobrem *Centurias* hic non sensu latissimo, omnibusque obvio, esse accipiendas, arbitramur, sed peculiares *Corporis Iuliani*, ut et *Decurias* in caeteris. *Populus* itaque, idest *Corporati* universi *Iuliani*, ad rependendam C. Iulio gratiam, *immunitatem* ei decernunt *Sex Centuriarum*. At quaenam, inquies, eiusmodi *immunitas? Immunitatem* hic accipimus sensu legitimo *pro vacatione a muneribus*, unde nomen *immuni-*

tatis deductum, quae circumscribenda ex personarum statu, ac conditione, quibus ea decernitur. Sic *Immunes Dendrophori*, qui muneribus, oneribusque vacant Corporis Dendrophorum; et *Veterani immunes*, si de militibus agatur, ii sunt, qui muneribus militiae vacat. Nec unis militiae oneribus vacabant Veterani. *Immunes* etiam erant *portoriis*, nisi mercimonium exercerent. Quod illis privilegium, ut Tacitus refert (1), Neronis decreto confirmatum: *Militibus* IMMVNITAS *servaretur*, *nisi in iis*, *quae vaeno exercerent*. C. Iulio igitur decreta *immunitas* a muniis, oneribusque, quibus sex Centuriarum homines Corporis Iuliani erant obnoxii. Quamobrem probanda minime videtur Fabrettii sententia, qui *Immunes perpetuos* Cippi alterius Farnesiani, quem mox proferemus, eos interpretatur, quibus *perpetua sacra faciendi* permissa facultas; quod profecto, non *immunitatis* privilegium, sed maximi *oneris* munus censendum (2).

Sed perseverabit quis fortasse, rogabitque,

---

(1) Annal. Lib. XIII.

(2) Pag. 449.

ecquale *Corpus* hoc *Iulianum*, et qualia Corporis huius munia? Cui paucis. *Plura posse Asinum interrogare*, ut in veteri proverbio est., *quam Philosophum respondere*. Corpus certe *Iulianum* a Iulio Augusto dictum, facile credimus. Caetera, quae Corpus hoc attinuere, ignorare hactenus nos, ingenue profitemur. De *Veteranis* immunibus, iisque, qui *advocationem* impleverant, locus insignis occurrit, qui est huiusmodi (1): 'ος πλερωσαντες στρατειαν, ἤ συνεγοριαν, προς τοις υπαρχουσιν αυτοῖς προνομιοις, μητε σιτωνιαν, ἤ ελαιωνιαν, 'η εποψιαν ἔργων, ἤ λογοθεσιαν, ἤ εκδικιαν, ἤ πατεριαν, ἤ λογιστιαν, ἤ αγορανομιαν ποιειτωσαν. Idest: *Qui militiam, advocationemve impleverint, praeter ea privilegia, quae sunt adepti, neque frumenti, aut olei comparandi curam, aut operum inspectionem, vel rationum, vel civitatis defensionem, patrisve munus, vel curam Reipub., vel Aedilitatem exerceant* (2). Tantum quippe aberat, ut in Coloniis, Municipiisve publica onera, Decurionum praecipue, magistratuumque appeterentur, ut et lege compellendi inviti, qui le-

(1) *Ea Lib.* 54. βασιλικων *tit.* 7.

gibus ad ea subeunda obnoxii forent, et privilegii loco haberetur, ab iis posse vacare. Quibus privilegiis cumulatos novimus, praeter eos, qui paullo ante sunt memorati, Philosophos, Rethores, Medicos, Grammaticos, aliosque, quos non vacat persequi singulos. Quae intelligi volumus de *Decurionibus* ex *officio*, minime de *Adlectis*, et *Ornamentariis*, qui interdum *gratuiti*, interdum secus; quibus nulla certa aetas lege constituta erat, et Decurionum honoribus, privilegiisque, sine onere, fruebantur. Tale profecto Decurionatus genus facile, divitum potissime, ambitiosorumque cupiditatem alliciebat, nec facilis ad illud via patebat; deque horum familia sunt accipiendi Decuriones illi fere omnes, quos in titulis offendimus, et quorum aetas citra, ultrave annos a lege Decurionibus legitimis sive *Ordinariis* praescriptos passim cietur. Quod discrimen cum non satis adcurate perpensum a viris quibusdam doctis fuerit, mirum, quantas in Pompeiana quadan Inscriptione in Com. VI. a nobis etiam relata, turbas civerint. Iuverit illam denuo hic sistere, diligentiusque refricare:

VIII.

N. POPIDIVS. N. F. CELSINVS
AEDEM. ISIDIS. TERRAEMOTV
CONLAPSAM
A. FVNDAMENTO. P. S. RESTITVIT
HVNC
DECVRIONES. OB. LIBERALITATEM
CVM. ESSET. ANNORVM. SEXS.
ORDINI. SVO. GRATIS. ADLEGERVNT

Lis est de voce SEXS. vers. 7. quam alii *sex*, alii *sexdecim*, alii *sexaginta* reddunt. Nobis olim *sex* arrisit, prae aliis. Nunc, mutata sententia, pro *sexsaginta* stamus; nam de *sexdecim* conclamata res videtur; scribi enim oportuisset SEXS, quod orthographiae legibus repugnat. Vocem praeterea *sexs.* decurtatam esse pro *sexagina*, aperta res videtur. Finem nempe lineae occupat, et est puncto de industria notata, quod secus factum adparet in caeteris lineis omnibus nullo puncto ad voces finales distinctis, quae integrae omnes occurrunt. Rem omnem conficere videtur Fabrettii Inscriptio (1) quae est huiusmodi:

(1) Pag. 11. a 51.

Sex Servilius *Ressia. L. C.*
Veiento *Cleopatra*
Ollas. continuas. *sexs*

Vide vocem *sexs* in fine lineae adhibitam pro numero senario, sed sine puncto aliquo, quod secus factum in Pompeiana nostra.

Deque τῃ ορθογραφιᾳ primum argumentum desumptum, illudque non de nihilo habendum. Sed penitiores adhuc rationes epigrammatis ipsius sententia suppeditat. Ecquid enim? Puero *sexenni*, aut annorum etiam *sexdecim*, liceret, pecunia sua *aedem Isidis terraemotu conlapsam a fundamento restituere*? Patre id factum, reponitur, vivente, aut testamento per *Tutores*, *Curatoresve?* Gratis. Nam id insinuatum oportuerat in titulo, ut in Eumachiae titulo, quo *nomine suo*, et *Filii sui Frontonis*, *Chalcidicum*, *Crypta*, *et Porticus Concordiae* Pompeiis excitantur; ut in titulo Farnesiano, quo *C. Iulius Hermes suo*, et *nomine* C. *Iulii Regilli Filii*, *de suo fecit sacrum.* Cum igitur nil tale occurrat in Pompeiano titulo, nomine suo dicendum, haec omnia a Popidio facta in Isidis gratiam, cum id ei per leges liceret. At non equidem id ei per le-

ges licebat, cum *senos*, aut etiam senos supra decem annos ageret. Ergo cum sexagenarius esset. Quo quid credibilius? Hominem scilicet et annis provectum, et divitiis affluentem, et nullis fortasse etiam heredibus fulcitum; bona sua in publica commoda, praecipue quae religionem contingerent, impendere? Idcirco Decuriones Pompeiani Decurionem eum non *Ordinarium*, quod non eorum iuris erat; quod non *honos*, sed *onus* omnium formidatissimum putabatur; verum *adlectum*, *gratuitumque* crearunt, qui vere honos sine onere censebatur; et quo *tam honesta exempla*, ut Caeretani marmoris verbis utamur, *in reipubl. commodum honorifica exornatione provocarentur*. Fidenter dicimus, deturque verbo venia: Marmor hocce Pompeianum quaqua versum αὐτονομον se Popidii Celsini probat, nihilque omnino olet sive *Patriae*, sive *Tutoriae*, *Curatoriaeque* potestatis.

Ne plura. *Adlecti* vox ipsa per se quaestionis iugulum petit. Nam *adlecti Senatores*; *adlecti inter Patricios*; *adlecti Consulares*; *adlecti veluti Exconsulares habiti*; *adlecti inter Praetorios*, *et Tribunos*; *inter Quae-*

stores; *adlectus in Ordine Senatorio*; *allectus in splendidissimum Ordinem*, quod postremum *Decuriones* sine controversia respicit; omnes *Honorarii* sunt, et *Vacantes*. Vid. Guther (1). Neque ex *adlectione* huiusmodi ius ullum *adlectis* dabatur, ut olim in *Ordinarios* transirent. Filiis autem Decurionum, quibus ad munus paternum lege patebat iter, legitima aetate expleta, cum adhuc pueri essent, *addicti Curiae* dicebantur, aut etiam *Decuriones infantes*, nusquam *Adlecti*; quo nomine si quando insigniti occurrant, de *Vacantibus*, et *Honorariis*, non de *Ordinariis* cogitandum.

Haec erant sub prelo, cum ad manus venit titulus alius oppido elegans, et opportunus, aliave occasione opportuniore referendus, in quo memoratur *Virtius* quidam, qui ob *Equum magnum* ab se *positum IIviratum gratuitum* assecutus est. Quid *IIviratus* hic *gratuitus?* Quippe longe alius ab *Ordinario*. *Honorarium* ergo intellige, adeoque *vacantem*, sive *Adlectum*, sive *Ornamentarium*, nec a veritatis semita aberrabis.

---

(1) De Off. Dom. Aug. Lib. I. p. 48. et. 49.

Nunc ad rem propositam quod pertinet, affirmare minime veremur, Maffeio, si titulum intuitus esset, dubitationis omnes tenebras futurum fuisse ut dispellerentur. Tanta Cippi moles, artificiumque mira cum simplicitate coniunctum! Titulus alter, de quo paullo supra memoravimus, huius plane simillimus, ut ovum ovo similius esse nequeat. Quocirca aut admittendus alter, aut uterque reiiciendus iisdem de caussis.

VIII.

FORTVNAE. REDVCI
DOM. AVG.
SACRVM
TRIB. SVC. CORP. FOEDER
M.ALLIVS.TYRANNVS.C.FVRINIVS. FAVSTVS
P. FVLVIVS. PHOEBVS. AVRAR. L.
VENONIVS. ZOSIMVS
IMMVNES. PERPETVO. DD

Extat etiam nunc, occurritque apud Gruterum (1), sed mendis scatens innumeris, cippus oppido ingens de *Tribu Suc. Iuniorum*, ad cuius latera insculpta nomina Militum Centu-

(1) Pag. 240.

riarum Octo, quarum singulae milites referunt 122, praeter Centuriones, quorum nomina in principio praenotata, unde inito militum omnium calculo, facile colligi datum, Legionem integram Vespasiani tempore constitisse fere 9000 militibus. Titulus in fronte cippi hic:

PACI. AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS. AVG
LIBERORVMQ. EIVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR

DEDIC. XV. K. DEC
L. ANNIO. BASSO
C. CAECINA. PAETO COS

Sed quando de *Fortuna reduce* incidit sermo, non heic praetereundus titulus Farnesianus alter, cuius fini suppetiae ferendae:

VIIII.

TI. IVLIVS. AVG. LIB. LIMEN. STABILIANVS. AEDEM
FORTVNAE. REDVCIS. FECIT. SIBI. ET. LIBERTIS
6 LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM
IN. AGRO. P. XIIIIS. IN. FRONTE. P. XIIIS
MESVRA. ACTA. ACCEPIT. PORTIONEM. OMNIVM
HS. CCCCXXXXVIII. N. TI. IVLIVS. DIOCLES. CVR. *Nomine ejus egit.*

Ad tempora Tiberiana respicere videtur. *Limen* cognomen Liberti Augustaei, quo gaudebat *nomine*, dum servitutem serviret, ex eo fortasse, quod *Liminis* custodia demandata ei fuerat. Aedis mensura acta per pedes XIV cum semisse in agro, XIII cum semisse in fronte. Insumpta in hanc Aede*m* HS. N. 448000; quam summam pro rata Libertorum, Libertarumque *Liminis* accepisse videtur Ti. Iulius Diocles, qui omnium, *Liminis* nomine, curam egit.

Inscriptionem alteram de Danielii Museo militaribus accensendam, nulla instituti operis necessitate, in medium adducimus, sed hac una ratione inducti, ut inde, si fieri potest, lis aestimetur, quae iamdiu viros inter doctissimos magna animorum contentione agitatur.

De *Optione Classiario* ancipites olim fuere Herculanenses nostri Antecessores, quales Iupiter! quantique Viri (1)! quod nullum ipsis videre contigerat monumentum, Ordinem eiusmodi prae se ferens. Sed apud Sponium (2) legere est T. Flavium Alexandrum *Ex-Optione Class. Misen. honesta* missione donatum a M. Iulio

(1) Praef. Tom. V.

(2) *Miscellan.* p. 244.

Philippo. Aufidium post Livianum retulit Marinius (1), *Optionem* Class. Ravennat. *Liburna Ammone.*

D. M
Aufidi. Livi
ani. Optio
nis. Rav.
Lib. Ammon
Q. V. A. X. M. XVII
Circenius. Fro
nio. III. *Arc. I*
H. B. M. F

In quo praeter *Liburnam Ammonem*, memoratur et Trieris ARC. forte *Arcus*, vel *Arcis*. Circenius Fronio videtur intelligendus I. H. idest *Prior Heres*, sive *Institutus Her.* Inter multa, quae afferri ad dubitationem omnem hac de re amovendam possent, satis esto, quod sequitur.

---

(1) *Tavol.* XXXII. p. 409.

X.

D. M
AELIO. FORTVNATO
MANIP. N. STAT. PRAETOR
ANTONINIANORVM
SILVANIVS. MARINVS. COM
MANIPVLVS. ET. HERES. BENE
MERENTI. FECIT

In Vrna, ad cuius latera bina Equi singuli alati eiusdem plane formae. Linea 2. sic reddenda: *Manipulo nostro Stationis Praetoriae*, cum Silvanius Marinus, tituli auctor, et heres, se eiusdem *Commanipulum* praedicet.

Aelium hunc Fortunatum ad Aelii Adriani familiam pertinuisse, opinamur. Sed *Libertini* generis, an *Servilis?* Libertinum ex Aelii nomine statuimus. Cur itaque non addita Libertorum nota L? Inde quippe primum Fabrettio, deinde Hagenbuchio, ansa arrepta contra Reinesium, *servituti* damnandi homines universos, qui sine nota huiusmodi in titulis procedunt. Fortassis controversia haec omnis uno Taciti loco componi amice queat. Locus est huiusmodi: *Libertos, quos* VINDICTA *Patronus non li-*

berarit, veluti servitutis vinculo attineri (1). Uni igitur Liberti VINDICTA servitutis vinculum penitus excutiebant: qui *Testamento*, aut *Manumissione* liberi fiebant, non item; sed servitutis vinculo veluti attinebantur. Deque posteriori hoc Libertorum genere utroque, non de *Libertis vindicta*, illum Taciti eiusdem locum intelligi oportere, censemus, quo ait (2). *Per idem tempus actum in Senatu de fraude Libertorum, efflagitatumque, ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur.* Hi enim, non illi, Tacito eodem referente, *veluti servitutis vinculo attinebantur*, ideoque visum Senatui, ut agi contra eos posset, quo ius *revocandae libertatis Patronis daretur.* Postremum igitur hoc Libertorum genus videtur, veluti medium extitisse inter *Servos* stricti nominis, et *Libertos vindicta*, qui lege, servitutis vinculo omnino solvebantur. Pronum idcirco est coniicere, medio huic generi illud saepe numero usuvenisse, quod contingere in medio positis plerumque videmus, ut

---

(1) Annal. Lib. XIII.
(2) Ibid.

ab uno interdum extremo, ab altero interdum, scribentis arbitrio, nuncupationem sortiantur: nullumque proinde Fabrettio, Hagenbuchioque ius, eosdem de *Libertorum* grege detrudendi, ut in *Servorum Familiam* compellerent.

XI.

D. M
L. LALLI VALENTIS
ET. LICCAT. BARDI. I
OPTIONIS. EX. III. VENE*rè*
VIXIT. ANN. XXXI. MILIT
ANNIS. XIII

Ad finem vers. 3. hastae verticali l deesse videtur horizontalis, unde L. olim constiterat. Legimus itaque sic: *L. Lallii*, *Valentis*, *et Liccati Bardi*, *Liberti*, idest: dicti *et Liccati Bardi*, *Liberti*: quae si minus placeant, lege I, ut sit primus Optio. Non enim tituli sensus constare potest, qui uni, non duobus, est constitutus. De *Optione* interim *Trieris Veneris* omnis evanescit addubitatio. Sed ecce de Danielii penu Epigramma aliud in rem eamdem opportunissimum:

XII.

D. M
P. SEXTILIO
MARCELLO. N.
ITALVS. DOMV
NOL. OPTIONI. CL. PR
M. SEXTIL. FELIX. ET
PETELIA. IVSTA. PAR. ET. MAR
DVLCISS. B. M. F

Versus penultimus aequa indiget interpretatione, ut PAR. ET. MAR. insolenti decurtandi prurigine, sint *Pater*, *et Mater*, adeoque ultimum F. *Filio* reddi opporteat. Hae facta levissima medicina, omnia rite procedere videntur.

Hactenus titulorum quadratariis, exceptoribusve, aut etiam viris doctis, qui male de iis meriti videntur, dies dicta. Nunc in titulorum auctores ipsos quaepiam, coronodis caussa, adnotanda: quod idcirco facimus, ut ne Tironum animis insideat aliquando, vetera omnia perpetuo manare melle, sesamoque. Ferendum quippe suum homini cuique humanitatis pondus, maximusque ille est, *qui minimis urgetur*. Quid enim illi facies, qui eum defuncti annos

formula illa PLVS. MINVS. haesitans indigitaverit, statim deinde menses eiusdem, diesque, tantum non minutias, tanquam in numerato, exhibet? Rem ita se habere, titulus hic clamat:

XIII.

D. M.
L. AVRELIO. TITO
MILITI. CLASS. PR. MIS
LIBRARIO. DVP. QVI. BIXIT
ANNIS. PLVS. MINVS. XXXX
MESIBVS. V. DIE. VNA. AVRELIA
ERMOCENTA. COIVX. ET
FILI. EIVS. PATRI. BENE
MERENTI. FECERVNT

Et ut non sine morionibus finis sit, quid illi facies, qui culinariam Inscriptionem cippo marmoreo, characteribus rubricatis, nulla verborum discretione, nullaque fere interpunctione, nullo certo sensu, insculptam, serio illustrare est aggressus? Est autem huiusmodi:

XVIIII.

VENERI. PROBAE. SANCTIS. SACR.
TI. CLAVDIVS. MARCION
SALVEMILLEANIMARVMINLVSTRICENAREOPVSSALVE
*p*VLCHRIONERIS. PORTATRIXINIXVPERABILIDONVM
RERVMHVMANARVMDIVINARVMQVE. MAGISTRA
*cre*ATRIX. SERVATRIXAMATRIXSACRIFICATRIX
SALVE MILLE ANIMARVMINLVSTRICENAREOPVSSALVE

Apage deliramenta mera ebriosorum somniantium, qualia decent Numini tali PROB. SANCTISS. addictos!

Sed itane, dicet quis, qui Marmoribus suppetias afferre hactenus, quas potuimus, conati sumus, ab ipsis nullam referentes gratiam discedemus? Id vero parum urbane. Marmoribus nullae satis haberi gratiae queunt, ut docti omnes consentiunt, et fatentur. Sed quoniam instituti nostri non est, hoc de argumenti genere agere, ne ingrati omnino videamur, titulum unum afferemus, quo et Geographis, et Plinianae cuidam vulgatae lectioni, sed corruptae, gratum faciamus.

XIII.

D. M
Q. VAL. MAX. VETE
VERNOSTE. MIL
ANN. XXVI. VIXIT
ANN. XLVII. Q. VAL
AQVIL. FIL
B. M. F

Venostes, Gens Alpina, memoratur a Plinio in descriptione Tropaei Alpini (1). Lectio

(1) Vid. Morcell. p. 67.

corrupta. Corrigendum *Vernostes*. Adde et aliud Musis elegantioribus dignissimum. Nam nodum praebent siglae nonnullae marmoris cuiusdam Cl. Danielii, plane elegantissimi, Psaltriaque, cui dedicatum, vere digni. Ecce illud:

XIIII.

SEMPRONIAE
ELEGANTIORIB. CHOREIS. PSALLENDOQ.
PRAESTANTISS
SVAE. VIRIDIS. IN. MEDIO. IVVENTAE
PER. CRVDELIA. FATA. DIREPTAE
SODAL. IV. SIBI. COHOORS. DILECTA
DQ. M. MOER. M. P

Duas lineas postremas sic reddendas censemus: *Sodales* vel *Sodalic*. IV. *sibi Cohors dilecta*, *deque morte moerentes monum. Pos.*

At qui alienis hactenus, nullas nunc reculis nostris suppetias afferemus? Egent hae quidem pro temporis circumstantia in uno, cui pro viribus succurrendum. In Commentariis superioribus VI. et VII. prolixe actum de celeberrimis Pompeiorum siglis D. V. V. A. S. P. P., quibus variae per nos, nec omnino gratuitae, subiectae interpretationes, quas, qui recte perpenderit, in unum fere omnes redire, facile

deprehendet. Quae caeteris antehabendae, iudicio nostro, hae sunt:

1. *Duumvir. Vot. ad. Salut. public. procur.* Vel.
2. *Duumvir. Vot. ac. Sacr. public. procur.*

Posterior haec nemini improbanda, qui meminerit XVIR. SACR. FAC; ut ab exemplis eiusdem generis aliis bene multis congerendis abstineamus. At ecce nuper Vir eruditus in tribus singulariis prioribus *Duumviros vice annua* se vidisse, gloriatus est; cuius sententiae quo minus accedamus, haec sunt in causa: I. τό VICE in labentis Imperii titulis adhibitum, in comperto est, cum de iis muneribus ageretur, quibus qui fungeretur, Principis revera VICES agebat, eiusque proinde VICARIVS in hoc extabat. Ita apud Gruter. (1).

IVL. NEMESIVS. NOMENTANVS. M. AVREL
IMP. SACRA. VICE. BETICAM. GVBERN

Ita, ne in re notissima longi simus: V. S. I. C; idest: *Vice sacra Iudex Cognitionum.* Nil tale in Duumviris nostris Pompeianis. Eccuius enim, vel ecquorum gerebant vices, qui

(1) Pag. 168. n. 4.

et *annui*, ut caeteri fere omnes, erant, nulliusque unquam dicti *Vicarii?*

2. Siglae nostrae Augustaea tempora attinent, in quibus etsi, quod res erat, ad Principem universa referebantur, verbis tamen parcebatur, praesertim in Oppidulis, ut libertatis pristinae veluti imago, sine invidiae periculo, servaretur. Ut igitur coniecturis nostris nuntium remittamus, nullae adhucdum allatae videntur cogentes rationes.

Corpus Iulianum, eiusque *Centurias sex*, ecquid fuerit, quaeve Centuriarum munia, e quibus *immunitas* decreta C. Julio Hermeti, ignorare nos, ingenue professi sumus ad pag. 73. Nunc, quae animum hac de re incessit suspicio, ingenue item profitemur, sine vadimonio. Cum nullo quippe Deo, nec per somnium, nec per visum, sermones miscere datum.

Sex itaque *Corporis Juliani Centurias* MILITARES accipimus, quales memoratae in Cippo Vespasianaeo, quorum militum omnium, Centurionumque nomina descripta idcirco vides, quod Centuriae ipsae, nomine suo, SACRVM paci aeternae Vespasiani, liberorumque eius faciunt. Verum in titulo nostro Centuriarum sex, mili-

tumque nomina ideo omissa, quod non Centuriae ipsae, sed unicus Julius Hermes, nomine suo, et Filii sui Julii Regilli, sacrum facit *Victoriae Imp. Caesaris Vespasiani*. Ecquid enim aequius, quam milites de *Victoria* Imperatoris sui gratulari, eidemque SACRA Publica decernere? *Corpus* itaque hoc *Julianum* Tribus Succussanae MILITARE fuisse, arbitramur, ut Tribus eiusdem Succussanae IVNIORVM corpus sine dubio militaribus accensendum. *Immunitatem* propterea *sex Centuriarum* C. Julio Hermeti decretam MILITAREM statuimus. Quae omnia eruditorum arbitratui permittimus, quorum iudicium et anxie expectamus, nec sine gratiarum actione, ut par est, erimus aliquando excepturi.

De notis denique chronologicis Coloniarum, Municipiorumve plura adversus Maffeium disputata in vindiciis Marmoris Puteolani, cujus initium est: *A Colonia deducta*; quas consule, si vacat (1). Nunc ad rem eamdem confirmandam, ampliandamque obviam se dat titulus Mediolanensis relatus a Fabrettio (2), qui est huiusmodi:

(1) *Illustrazione Apologetica* del marmo *Puteolano*, ec.

(2) Pag. 73.

INNOCENTI. CVM. ENGRATIO. VIVAS
GEN. ET. HON
MAGI. GERMANI. STATORI
MARSIANI. EQ. R. E. P. DEC. DEC. V.
EX.). IIII. COLL. FAB. ET. CENTON.
CVRATOR. ARK. TITIANAE. COLL. SS
ANNI. CLI. COLON. C. A. F. MED
ET. IVNONI
CISSONIAE. APHRODITI. EIVS
). XII. COLL. S. S. PATRONIS
PLVRA. MERENTIBVS
INNOCENTI. QVI. SIC. AGIS. BENE. VIVAS

Vide in titulo hoc unam notam chronologicam, eamdemque municipalem, nulla Consulum iniecta mentione, *Anni* CLI. *Colon.* C. A. F. *Med.* idest: *Coloniae Copiae Augustae Felicis Mediolan.* Paucis nunc complectamur caetera, quae notatu digna in marmore videntur.

1. Titulus inscribitur *Genio*, *et Honori Magii Germani Statori Marsiani*, *et Junoni Cissoniae Aphroditi eius* (intellige) uxori, seu *Veneri.*

2. Magius *Eques Romanus Equo publ.*, *Decurialis Decuriae* V. *ex Centuria* IIII. *Collegii Fabrum*, *et Centonariorum.* Item *Curator*

Arkae Titianae Collegii suprascripti. Collegii huius *Patroni* Magius cum Uxore, Innocentius, et Engratius.

3. Titulus ponitur a *Centur.* XII. *Collegii suprascripti.*

4. Collegia ad instar Legionum ordinata ita, ut Collegium ipsum ad instar Legionis esset, quod *Centuriis* constabat, quae iterum in *Decurias* dividebantur.

5. Honor singularis Innocentio habitus, cui singulari acclamatione in tituli fine plauditur.

			ERR.	CORR.
Pag.	15.	v. 12.	Dendroprophororum. .	Dendrophororum
	36.	v. 7.	Vietore. . . .	Victore
	37.	v. 15.	πτοτερον. . .	προτερον
	43.	v. 15.	τον σιον. . .	τόν Βιον
	47.	v. ult.	cum	enim
	49.	v. 5.	Mam.	Nam
	50.	v. 10.	Cun.	Cum
	53.	v. 10.	Exceptum . .	Exceptam
	63.	v. 10.	αρκαιλογαν. .	αρκαιολογαν
	72.	v. 7.	Vacat	Vacant
	73.	v. 14.	SEXS. . . .	SEXSD

Pag. 13. v. 2. T. F. T. F. FAB.
Pag. 51. v. 14. Puerum quadrimum. . . . . . Puerum octennem.

ADDITAM.

De titulo Eburico pag. 13. adhuc ampliandum videtur. Praeter HS. VIII. N. erogata a T. Flavio Collegio Dendrophorum ob statuae dedicationem, *collocata* HS. XX. N; quorum usurae adsignatae *Quinquennaliciis*, *IIviris*, *et Aediliciis*. 2. Seorsum ab his, pro *ceteris Conlegis Decurionibus singulis collocata* HS. N. x., quam summam ex Marmoris iactura non licet certo statuere. Sed mediam fuisse, oportuit, inter XX. et XII; quae pro Augustalibus *liquido collocata* adparet; minorem puta HS. XX. N; sed paullo maiorem HS. XII. N. 3. Vocem SING. v. penultimi ad Collegia *singula Dendrophor*; et *Centonariorum*, non ad Collegas singulos utriusque Collegii, referendam; ut sensus sit, pro unoquoque horum Collegio *collocata* fuisse a T. Flavio HS. M. N. 4. Quamobrem, rationibus accuratius initis, HS. summa liquida, praeter incertam in De-

curionum beneficium, erit HS. 54000 = duc. nostris fere 2348.

Pag. 44. versu antepenult. DEL. pro *Delio* accepimus. Verius fortasse pro *Delmata* accipias.

Pag. 87. v. 10. PAR. ET. MAR. pro *Patre et Matre* accepimus. Rectius cum Cl. amicissimoque Furlanettio reddas: *Parenti*, *et Marito*, ut *M. Sextilius Felix* filius extiterit *P. Sextilii Marcelli*, qui et *Peteliae Iustae* fuerat maritus.

